De apicibus et i longis

inscriptionum latinarum.

scripsit

Jacobus Christiansen

Dr. phil.



Prostat apud **C. F. Delff** Husumensem.

1889.

PARENTIBVS CARISSIMIS

L. M.

Idem quod tribus abhinc saeculis Iustus Lipsius de linguae latinae pronuntiatione suae aetatis increpans scripsit [1]) »hodie quae confusio et turbela! Omnium pariter idem sonus brevium longarumque« (scil. vocalium) iure atque merito usque ad medium saeculum nostrum valde vituperandum erat. Veram vocalium quantitatem sive longarum sive brevium maiores nostri omnino fere neglegebant in pronuntiando neque arti recte et plane loquendi ut vernaculo, ita latino sermone usi vim magnam tribuebant. Attamen res orthoepicae satis sunt dignae, quae iterum et saepius pertractentur. Quantum iam apud Romanos veteres pronuntiatio recta Ciceronis vel Augusti temporibus valuerit, optime cognoscere possumus e Cicerone ipso qui in Oratoris cap. 51, § 173 dicit haec: »In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior. Nec vero multitudo illud quod offendit aut cur aut in quo offendat intellegit, et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis sicut acutarum graviumque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit«. An vero Romani veteres studium ὀρθοεπείας explorandae permagni aestimaverunt: nos quidem illud pro nihilo putabimus? Immo vero nobis summo opere contendendum est, ut vocabula latina quam accuratissime pronuntiemus. Itaque inde ab eo tempore quo res cum metricae tum epigraphicae magis magisque pertractari coeptae sunt — id quod praecipue Ritschelii cura atque studio factum est — etiam orthoepicae quaestiones a philologis sunt institutae.

Quaerentibus enim utrum vocalis quaedam longa sit an brevis proficiscendum est ex arte metrica cuius fundamenta in eo esse posita quod et syllabae et vocales discernuntur in longas brevesque ita ut in brevi syllaba tempus sit unum, in longa duo, ne

---

[1]) In dialogi de recta pronuntiatione ling. latin. capite V (Lugd. Batav. 1586).

puerulis quidem ignotum est. Per se tamen apparet hanc distinctionem nihil esse nisi adiumentum poeticum vocabulorum versuumque metiendorum causa inventum neque illis duobus generibus omnem vocalium varietatem prorsus esse exhaustam. Veram enim indolem ac naturam vocalium nostris demum temporibus phonetici qui dicuntur exquirere conati sunt qui etiam atque etiam nos admonent [1]) ut ne tempus (»Dauer«) vocalium cum sono (»Klang«) vel ut ita dicam quantitatem cum qualitate confundamus. Utrumque igitur respiciendum est orthoepicarum rerum studioso.

Ac primum ad vocalium prosodiam definiendam accuratius perspiciendi sunt poetae latini quorum mensurae magno nobis sunt usui. Poeticae autem artis e Graecis translatae apud Romanos quasi pater fuit Q. Ennius, vates Rudinus. Is tum cum sermone vulgari quantitas syllabarum vacillare et claudicare coepit simul cum versu hexametro dactylico Graecorum severiores leges metricas quantum facere potuit in poesin latinam intulit atque ita syllabarum positione *(θέσει)* productarum auxilio inconstantiae fluctuationisque verborum metiendorum finem fecit. Ennii vestigia deinceps ceteri Romanorum poetae secuti sunt. Neque tamen consonantibus duabus vocalem quandam sequentibus ex poetis cognoscere possumus utrum vocalis illa positione an natura sit longa. Tum autem felicissimo casu accidit ut in lingua latina quamvis ipsa quidem emortua multa argumenta et adiumenta nobis in promptu sint quibus qualis olim prosodia fuerit intellegamus. Fridericus Ritschelius, qui miro ingenii acumine praeditus in gradus et quasi in processus linguae latinae prospere feliciterque inquirens veram viam ac rationem indagandi nobis ostendit, in epistula subtili [2]) in quaestionum huius modi usum converti vult

I certas quasdam res grammaticas vel etymologicas (exīstimo ex aestimo, amāsse ex amavisse, nārrare ex gnarus al.)

II prosodiam veterum poetarum scenicorum (ĭlle, ĭste, ĭnde, ŏmnis, ărgentum, ŭxorem, volŭntatem al.)

---

[1]) Cfr. Seelmann, Aussprache des Latein p. 2: »— noch immer verwechselt man bei der Characterisirung der antiken Vokale das Moment der Dauer und des Klanges.«

[2]) Inscripta »Unsere Aussprache des Latein« (Opusc. IV, 766 sqq.)

III scripturas vel signa graphica inscriptionum (vocalium geminationem, scripturas ei, ou al., apicem, I longam.)

IV vocabula latina graecis litteris scripta *(Φῆστος, πρώξιμος, Σήστιος, Σεκόνδος* al.)

V testimonia veterum grammaticorum (Cicer. Orat. 48 § 159 de consonantium iuncturis ns et nf, Gellii 2, 17, 5 testimonia de prō et prŏ, de participiis perfecti atque permulta alia.)

VI analogiae rationem.

Nondum allatae sunt a Ritschelio ad illam quaestionem linguae Romanicae quae profectae a sermone latino vulgari saepissime nobis dant ansam constituendarum pronuntiationis regularum. Quod subsidium argumentandi recentiores in quaestiones orthoepicas attulerunt, in primis Schuchardtius (»Vocalismus des Vulgärlatein«) Corssenus (»Aussprache, Vocalismus und Betonung der lat. Sprache«), Foersterus (»Bestimmung der lat. Quantität aus dem Romanischen« in mus. Rhen. 1878 p. 291 sqq.) Seelmannus (l. c.), Groeberus (»Vulgärlateinische Substrate romanischer Wörter« in »Archiv für latein. Lexicographie und Grammatik.«)

Nimirum per se quidem singula adiumenta non tam magnam argumentandi vim habent, adipiscuntur autem argumentis diversis inter se consentientibus. Omnium tamen illorum adiumentorum longe plurimum valent signa graphica vel scripturae in titulis ad nostra tempora conservatae, e quibus hac commentatione duas gravissimas tractare mihi est in animo. Ac praecipue hausit e fontibus epigraphicis Ritschelius cuius vestigia postea alii presserunt. Quanta profecto sagacitate, industria, patientia laboris opus fuit ad rudem indigestamque molem inscriptionum passim dispersarum componendam! Iam quidem in Corpore Inscriptionum Latinarum Mommseni Henzeni Rossii Huebneri aliorum virorum egregiorum studiis, ut cum poeta Veronensi loquar, »doctis, Iuppiter, et laboriosis« coniunctis uberrima materia est collecta et quasi silva *ὀρθοεπείας* latinae accuratius perscrutandae. Itaque sperandum est fore ut in rerum orthoepicarum discrimine aut omnes aut plurimae difficultates amoveantur atque in his dubitationum fluctibus ad certum quendam finem perveniatur.

His praemissis ad id me converto quod mihi proposui. Disseram de iis signis graphicis quibus Romani veteres longe

saepissime discrimen quod est inter longas brevesque vocales scribendo exprimere tentaverunt, de apice atque de i vocali longiuscula. De quibus Ritschelius anno huius saeculi iam quinquagesimo secundo scripsit (Opusc. IV, p. 155): »eo enucleatius olim disceptandum erit quo plus utilitatis ex eo capite recte pertractato in gravissimas quasdam partes grammaticae latinae redundaturum est.«

Loquar igitur

I de apice.

Obiter numeranti occurrunt ter fere millies in titulis latinis virgulae vocalibus quibusdam superscriptae quarum vis ac potestas diu in tenebris latuit. Figura huius signi usitatissima est lineola obliqua a dextra sinistrorsum ducta ´ , paucis tamen locis nota est modo rotunda ʾ (C. I. L. I, 485. 492. 626. 1009. 1194. III, 371. VI, 5992. 6019. 18786. 22694. IX, 2975. 3393. 5119. X, 2311. 3780. 6719. XI, 1420. 1616) modo angulata 7 (C. I. L., 1009. 1244. IX, 1747. 4087. X, 789. XII, 4492), modo directa ' (C. I. L. VI, 4554. 5163. 5598 [1]), modo torta ʿ (XII, 1159. 1868. 3077).[2]) Notam ¯ a nostris ad syllabas longas adhibitam in titulis latinis nondum invenit Corssenus; nunc quidem legitur in titulo ineuntis aetatis imperatoriae (C. I. L. VI, 8979). Ii tituli apicibus ʾ 7 ʿ exornati, qui certo ac definito anno tribui possunt, ad aetatem rei publicae liberae omnes pertinent; inde ab Augusti temporibus figurae obliquae ´ usus constitit. Perpaucis tamen locis apices a sinistra dextrorsum vergunt (C. I. L. VI, 353 (p. Chr. 51), VIII, 2309) qui suo quisque modo explicandi sunt.

[1]) Omitto inscriptionem ROMA · L · FV́RI quam videmus in asse triente (C. I. L. I, 278) cum praesertim lectionem non satis certam esse Mommsenus annotet. Quamquam nominis Furii apex per se nihil habet miri, antiquior tamen typus nummi cum longo temporis intervallo a ceteris apicibus separat. Itaque fieri non potest quin lectionem falsam aut nummum aetatis recentioris esse ponamus.

[2]) Hi novem apices mirae formae bis male positi nil videntur nisi ornamenta vel interpunctionis signa.

Qui inscriptionem aetatis Claudianae priorem insculpsit, studio antiqui adductus notam apicis vulgarem videtur mutavisse. Reperitur in titulo illo praeter INVI̓CTAI, supra quod apex diversus extat, ÓRFITO quod ob transscriptionem graecam *Ορφιτος* C. I. A. III, 620 add. 903a C. I. G. 2169 dubitationem affert, et SERℲILIAÍ, ubi apex prior male positus est supra litteram Claudianam. Seelmanni interpretationem permiram (cfr. infra) comprobare nequeo. Alter titulus est Numidicus Cediae repertus, in quo legimus DÈF (unctus) ÈST SÈRMONI ÈT FÈCÈRVNT CÈDIÈNSÈS PÈCKATORÈS. Quoniam in Africa nullus fere titulus reperitur apicatus praesertim cum verborum plurium virgulae idonea explicatione careant, de apicibus ad vocales productas adhibitis non puto esse cogitandum. Immo vero ornamentum quoddam ineptum existimandum est quod lapicida E vocali soli adicere voluit. Inscriptionem Christianam recentioris esse aetatis apparet quae ipsa suadet ne nimium pretium illis apicibus statuamus. Praeterea commemorandus est titulus Dalmaticus cuius Kellermannus [1]) mentionem fecit. Invenimus hic apicem diversum supra ÌNVIC(to) ÌNCOLVMITAT(e) DÌSP; ut antea cum e vocali, ita nunc quidem cum i vocali coaluit. Quoniam autem titulus, ut Kellermannus recte monet, non potest ante Caracallae tempora positus esse, coniciemus illa ornamenta vocalibus singulis adiecta posteriore demum aetate Caesarea in usum venisse.

De figura accurata plura verba facere superfluum est. Persaepe in titulis male conservatis vel corrosis vix potest dici qualis fuerit apicis forma. Itaque hoc quidem missum facio atque potius ad res graviores transeo.

Quid sibi velit apex, paullatim demum quaestionibus epigraphicis institutis viri docti intellexerunt. Ex grammaticis latinis duo apicem commemorant, Quintilianus et Terentius Scaurus. Ille enim, qui scripsit Domitiani aetate, in Institutione Oratoria (1, 7, 2–3): »Longis syllabis omnibus, inquit, adponere apicem ineptissimum est quia plurimae natura ipsa verbi quod scribitur patent; sed interim necessarium cum eadem littera alium atque alium intellectum prout correpta vel producta est, facit: ut m a l u s arborem significet an hominem non bonum apice distinguitur,

[1]) Cfr. O t t o n i s J a h n specimen epigraphicum in memor. Ol. Kellermanni, Kiliae 1841, p. 105.

palus aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat et cum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus.« Atque Terentius Scaurus, ut Gellius dicit, »divi Hadriani temporibus grammaticus vel notissimus« haec praecipit:[1]) »apices ibi poni debent, ubi eisdem litteris alia atque alia res designatur, ut venit et vénit, aret et áret, legit et légit ceteraque his similia. Super i tamen litteram apex non ponitur: melius enim I in longum producetur. Ceterae vocales, quia eodem ordine positae diversa significant, apice distinguuntur, ne legens dubitatione impediatur.« Atque idem[2]) dicit (Gramm. Lat. ed. Keil VII, 18): »primum igitur per adiectionem illa videntur esse vitiosa quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas voluit cum alioqui adiecto vel sublato apice longitudinis et brevitatis nota posset ostendi.«

Distinctis igitur atque disertis verbis grammatici ipsi dicunt adhibendos esse apices ad exprimendas syllabas longas. Nec vero cum accentibus apices confundendi sunt. Atque positionis lex quoniam metri causa a poetis inventa est, in titulis vel in prosa oratione valere nequit; apparet igitur tantum vocalibus natura longis apices esse additos. Attamen ii qui primi in apicibus explorandis operam collocaverunt eorum vim propriam non perspexerunt. Iustus Lipsius titulorum latinorum omnino fere inscius apices quos Quintilianus et Terentius Scaurus commemorant huius formae ¯ fuisse conicit (l. c. p. 17). Itaque fit ut apices titulorum l. c. p. 50 allatorum veros (CLÉMÉNS, OCVLÓS, CV́RIONE al.) quos accentus esse »ineptum, stultum et a bardis« putat, »imperitae alicui sculptoris manui« attribuat. Addit autem: »nisi id tamen voluerant apices eos esse quibus insignirent (ita suspicor) vocales longas.« Lipsius igitur quid titulorum apex vellet recte suspicatus est. Ritterus de apice atque inscriptionibus quae apicibus consignatae reperiuntur primus continue scripsit, sed quamquam quid apex sit certis indiciis investigasse sibi videtur multum tamen abest ut omnis ambiguitas dubitatioque removeantur. Iure suo eorum opinionem refellit qui accentus notam

---

[1]) F. Schoellius in Act. soc. phil. Lips. VI, p. 91 sq. (Keil, G. L. VII).

[2]) Corssenus (l. c. I, 14) Ritschelium (Opusc. IV, 143) neglegenter exscribens haec verba Velio Longo falso tribuit.

apicem esse censent,[1]) sed a vero plane aberrat apices syllabis non modo natura, verum etiam positione productis appositos esse ratus. (Praeterea apices hic illic confundit cum signis verbi litterae ultimae additis). Namque annotat l. l. p. 92: »In voce NÓTÉSCERET secundus apex appositus est syllabae sola positione productae quod quidem rarius fieri solet.«

Post Ritterum Olaus Kellermannus de apicibus copiosius egit. (l. c.) Idem putat »haec signa aut non esse veros accentus aut si essent tam negligenter et quasi pro lubito posita esse a sculptoribus, ut non nisi raro cum regulis concinerent quas de accentu in usu fuisse scimus.« Quam accentus illius veram naturam intellexerit, Kellermannus nullo verbo dixit, utique non perspexit apicis vim propriam ac potestatem. Neque apicem accurate a nota compendii neque a sicilico qui vocatur distinxisse eum infra videbimus. Vere de apice Schmitzius Ritscheliusque iudicaverunt. Ille enim in commentatiuncula anno h. s. LVI scripta Ritteri opinione reiecta vocalibus sola natura productis apices impositos esse conclusit atque Ritschelius ad haec annotavit: »Dieser Schluss beruht auf der zwar bis jetzt nicht bewiesenen, aber demnächst an einem andern Orte zu beweisenden Gewissheit, dass die fälschlich sogenannten Accente, richtig apices, auf lateinischen Inschriften nie und nirgend etwas anderes bedeuten und bedeuten sollten als Naturlänge des Vokals.« Nimirum hic quoque scripturae extant quae nondum exploratae sint atque quas exploratum iri fortasse nunquam possit sperari. Quod tantum abest ut nostram de apicis vi ac natura opinionem refellat ut etiam comprobet, quandoquidem exceptio, sicut dicere solemus, firmat regulam.

Iam si quaerimus quo tempore Romani apice usi sint necessarium est paucis ceteras vocalium quantitatis distinguendae rationes in medium proferre. Constat L. Accium poëtam, ut syl-

---

[1]) F. Ritter, Element. gramm. latin. lib. I (Berol. 1831) p. 78: »quas (scil. apicum notulas) accentus signa esse nonnulli existimarunt: quod si est verum, et antiquorum grammaticorum et mea accentus latini doctrina aut plane concidit aut certe magnopere labefactatur; nam notulae illae vocum syllabis ita plerumque impositae sunt, ut cum vulgaris accentus regulis conciliari nullo modo possint.«

labas produceret, vocalium geminandarum auctorem fuisse. Neque tamen omnes vocales Accius geminabat producebatque, sed tantum A, E, V. Pro I vocali geminata scripturam EI iamdudum a Romanis usitatam adhibuit, vocalem O autem quia Osci, e quorum lingua geminatas vocales delibavit — erat autem ipse Pisaurensis — littera O carebant, novandi periculo geminare non est ausus. (POOSSIT — pro posset — [C. I. L. VI, 1658 b, p. Chr. 377] mihi videtur a sculptore male esse inscriptum. Hic enim litterae P bilabialis causa vocalem longam esse scriptam quis est qui cum Seelmanno — l. l. p. 102 — opinetur?) Atque si accuratius ex titulis definire volumus, intra quod tempus geminatio vocalium in usu fuerit, ab anno fere 620 usque ad annum a. u. c. 680 usum illum pertinuisse Ritschelius primus rectissime ostendit. Quoniam Accius anno fere 660 vel ex Ritschelii opinione 670 diem supremum obiit, haec ratio scribendi non diu superfuit auctori. EI tamen scriptura per totum saeculum urbis septimum octavumque conservata est, quamvis Sullae fere temporibus alia consuetudo scribendi institueretur. Illa enim aetate primum pro EI scriptura I litterae longiusculae reperiuntur, de quibus infra uberius agemus. Sed haud multo post apices in usum venerunt. Quis hos novos modos scribendi quorum alius alium complet in litteras Romanorum induxerit, memoriae non est traditum. Quoniam autem ceterae rationes scribendi cuiuscunque grammatici auctoritati attribuuntur — velut Ennius (cfr. Festum s. v. solitaurilia) in rebus orthographicis geminationem consonantium primus adhibuit, Accius, si Ritschelius (Opusc. IV, p. 492, 687 annot.) recte coniecit, usum gutturalis ita definivit, ut K ante A, Q ante V, ceteroquin C adhiberetur, atque vocalium geminationem in usum quotidianum intulit, Lucilius I pingue et I tenue discrevit — non videtur alienum idem conicere de I longa atque apice. Si coniectura uti liceat, utriusque scripturae auctorem putaverim fortasse fuisse M. Terentium Varronem Reatinum, cuius de lingua latina merita egregia omnibus sunt nota. Non solum optime hoc quidem convenit in eius aetatem, sed etiam eo verisimilius est quod Varronem librum de antiquitate litterarum inscriptum ad L. Accium direxisse haud ignoramus. Nonne facile fieri potuit, ut Varro in illo libro praecepta de i longa et de apice orthographica commendaverit? Quod si verum est Varronem fuisse auctorem, et nummi

supra notati FV́RI (C. I. L. I, 278; a. u. circ. 600) et inscriptionis MV́RVM Capuae repertae (C. I. L. I, 568 = X, 3780 = Ritschl. PLME tab. LXIII c; a. u. circ. 650) apices posterioris aetatis esse apparet; certe magnas dubitationes nobis excitant, utpote qui tantum temporis absint a ceteris apicibus. Tempore subsequuntur apices reperti in denariis FV́RI (C. I. L. I, 485; circ. 683 a. u.) et MV́SA (C. I. L. I, 492; circ. 695 a. u.) Una cum I longa apicem primum reperimus in titulo quodam a. fere 710 a. u. posito DIVO IV́LIO (C. I. L. I, 626). Notabile est in omnibus his verbis apicem insculptum esse supra V vocalem.

Ut cognoscamus ceterorum apicum tempus, inscriptiones maiores atque extensiores nobis conservatas inspiciamus.

In Corp. Inscr. Lat. volumine primo i. e. in titulis reipublicae liberae apices rarius inveniri supra iam dixi. Inde ab Augusti demum temporibus crescit usus. In monumento Ancyrano, aetatis Augusteae testimonio gravissimo [cfr. Mommsen, Res gestae divi Augusti iterum ed. (Berol. 1883), C. I. L. vol. III] apices 375 reperiuntur, qui ita distribuuntur ut supra A vocalem 157, supra O 102, supra E 65, supra V 49, supra I vocalem et AE diphthongum singuli extent. Igitur non pauci, sicut Corssenus, qui monumentum penitus nondum inspexerit, contendit, sed satis multi apices insunt in illo. Plurimi tamen apices certe primo saeculo Christiano tribuendi sunt. In tabula Lugdunensi orationem imperatoris Claudii continente illa signa graphica creberrime sunt adhibita. Praecipue autem Acta collegii fratrum Arvalium nos certiores faciunt de apicis temporibus (C. I. L. VI, 2023—2119); ita enim apices distributi sunt:

C. I. L. VI,	2024 —	anno p. Chr.		27 —	1	apex.
—	2025 —	„		34/36 —	2	apices.
—	2027 —	„	circ.	17 —	8	„
—	2041 —	„		58/59 —	13	„
—	2042 —	„		59/60 —	29	„
—	2059 —	„		80/81 —	40	„
—	2060 —	„		81 —	27	„
—	2065 —	„		87 —	2	„
—	2074 —	„		101 —	1	apex.
—	2075 —	„		105 —	15	apices.

C. J. L. VI, 2076	— anno p. Chr.	117	— 4	apices.
— 2078	— „	118	— 11	„
— 2080	— „	120	— 83	„
— 2093	— „	169/177	— 1	apex.
			In summa 237	apices.

Patet igitur ex hac enumeratione per omne saeculum primum et dimidium fere secundum apices saepe in usu fuisse. Quamquam usus non erat constans, sed libido hac in re valde erat magna; velut mirum est quod in titulo 2028 (anni 38) centum fere I litterae longae, nullus autem apex reperitur. Inde ab anno fere 150 decrescit usus; tituli enim Actorum quadraginta ultimi semel tantum apicem (2093 supra FILIÓ, p. Chr. 169/177 demonstrant.

Sed etiam ceteros titulos Corporis enumeremus quorum tempus certa quadam probabilitate definiri potest:

II, 1178 (c. p. C. 134)
— 1459 (Vespas. temp.)
— 1473 (saecul. I)
— 2633 (p. C. 152 renov.)
— 2642 (saec. II)
— 3386 (saec. II)
— 3843 (circ. p. Chr. 100)
— 4238 (saec. I)
— 4509 (p. C. 107)
— 4550 (saec. I)
— 4701 (ante Chr. 2)
— 5042 (Augusti temp.)
III, 550 (p. C. 112)
— 551 (aet. Aug.)
— 5166 (p. Chr. 158)
— 7367 (p. C. 124)
V, 26 (p. Chr. 73)
— 531 (p. C. 71)
— 875 (p. C. 105)
— 4347 (CÓS p. C. 206)
V, 5050 (p. C. 46)
— 6786 (c. p. C. 50)
— 7003 (p. C. 65)
VI, 85 (p. C. 198)
— 196 (Augusti temp.)
— 198 (Vespas. temp.)
— 244 (p. C. 18)
— 353 (p. C. 51)
— 701/2 (ante Chr. 10)
— 811 (p. C. 38)
— 862 (p. C. 202) (CÓS)
— 872 (Aug. temp.)
— 894 (Aug. „)
— 909 (Tiber. „)
— 913 (Tib. „)
— 930 (Vespas. „)
— 1030 (p. C. 201) (CÓS PROCÓS)
— 1058 (p. C. 210: CÓS [bis])

VI, 1088 (p. C. 239: CÓS. PROCÓS. GORDIANÓ)
— 1101 (p. C. 251: CÓS)
— 1252 (p. C. 46)
— 1377 (circ. p. C. 170)
— 1527 (ante Chr. 8—2)
— 1624 (p. C. 247/48: MVSSIÓ apex loco puncti?)
— 1799 (c. Tib. temp.)
— 1887 (c. Vespas. temp.)
— 1921 (c. p. C. 44)
— 1945 (c. Aug. temp.)
— 1962 (Vesp. temp.)
— 1980 (p. C. 188)
— 3828 (p. C. 82)
— 3884 (p. C. 197/98: CÓS saepius)
— 3885 (p. C. 147/48)
— 3940 (c. Aug. temp.); eiusd. temp.:
— 4003, 4026, 4193, 4242, 4312.
— 6605 (Claud. temp.)
— 7578 (p. C. 127)
— 9424 (p. C. 56)
— 9797 (p. C. 126)
— 10230 (Aug. temp.)
— 16631 (c. p. C. 107)
VI, 20141 (p. C. 41)
— 21563 (p. C. 66)
IX, 60 (c. p. Chr. 100)
— 2860 (p. C. 138/161)
— 3664 (p. C. 18)
— 5177 (p. C. 172)
— 5823 (p. C. 159)
X, 796 (p. C. 37)
— 826 (p. C. 56)
— 885 (ante C. 14)
— 893 (p. C. 4)
— 895 (p. C. 23)
— 946 (p. C. 14/5)
— 996 (Aug. t.)
— 1051 (Ner. t.)
— 1063 (c. p. C. 64)
— 1419 (aet. Flav.)
— 1881 (p. C. 165)
— 3903 (aet. Tiber.)
— 6077 (p. C. 148: CÓS)
— 6104 (Aug. t.)
— 6640 (p. C. 85)
XI, 1147 (p. C. c. 110)
XII, 1357 (aet. Flav.)
— 1853 (p. C. 143/48)
— 4333 (aetat. Antonin.)
— 4393 („ „)
XIV, 244 (p. C. 20)
— 376 (c. p. C. 100)

Denique notandus est titulus Burdigalensis (cfr. Huebneri Ex. scr. ep. lat. 602) anni p. C. 224, ubi octo apices, in quibus supra CÓS, recte positi sunt.

Ex his quoque titulis apicatis apparet ad medium saeculum post Christum tertium apices in usu fuisse, praecipue autem floruisse saeculo primo. Novissimos apices, ut videtur, reperimus in titulo Aquileiensi (C. I. L. V, 857) a Diocletiano (p. C. 284—305) in memoriam Saloninae, coniugis imperatoris Gallieni (p. C.

260—268), posito, in quo legitur: SALÓNINÁE SANCTISSIMÁE PATRIÁE CASTRÓ (rum) DIOCLÉTIÁNVS. Diutissime apicis usus, sicut tabula nostra docet, permansit supra vocabulum CÓS. Saepissime tamen videtur factum, ut et huic verbo et titulorum sepulcralium initio DIS MÁNIBVS more sollemni apices additi sint a lapicidis propriae illius signi potestatis iam ignaris. Sed non modo lapicidae apicibus utebantur, sed etiam ceteri homines scribentes. Continent enim et inscriptiones parietariae Pompeianae (C. I. L. vol. IV) apices et papyri. Scottius nuperrime papyros Herculanei repertas edidit, [1]) in quibus Varii carminis de bello Actiaco fragmenta octo. In his schedis et apices et I longae extant, ex quo videmus Romanos usum illarum notarum non quadratariis solis concessisse. Quoniam et inscriptiones Pompeianas et papyros Herculanenses haud multo ante annum p. Chr. 79 conscriptas esse verisimile est, tempore cum ceteris omnibus optime consentiunt.

Neque igitur mirabimur quod Quintilianus Terentiusque Scaurus de apice praecepta dederunt; apex enim eorum aetate, sicut vidimus, maxime viguit. Volgus profanum quid grammatici praeceperint omnino fere neglexisse ex inscriptionibus conservatis satis elucet. Lapicidae apices insculpserunt aliique homines scribentes adhibuerunt quandocunque et quotiescunque volebant atque id solum operam dederunt, ut longam vocalem notarent.

Transeuntibus nobis ad id, quod quaerimus, quibus vocalibus superscribatur apex, in mentem venit Terentii Scauri testimonii (cfr. supr.): »super i tamen apex non ponitur.« Quousque hoc praeceptum congruit cum apicibus servatis? In titulis rei publicae liberae apices supra A E O V positos esse, pro i vocali apicis signo exornata scripturam ei vel I longam esse adhibitam epigraphica exempla docent; velut invenimus in titulo Sinuessano (C. I. L. I, 1199) Ritschelii opinione septimo urbis saeculo tribuendo ARBITRÁTV, POLLIÓNIS, CRV́STVM, praeterea autem PÁPIEIS, COLONÍS, CAEDICIANEIS; in titulo C. I. L. I, 1009 HÓRA, LÉTI; in titulo C. I. L. I, 1409 Augusti fere temporibus confecto HVMÁTVS, EXARÁTÓ, ÉDICERE, RELIGIÓNE,

[1]) W. Scott, fragmenta Herculanensia. Oxon. 1885; appendix: papyr. Oxoniens. Nr. 817.

ESTÓ, PV́RVS al. In titulis rei publicae liberae diphthongo EI quoque apicem additum esse audacius magis quam verius Corssenus contendit. Invenitur enim in C. I. L. I, 1194 = VI,6009 [1]) praeter PROBÁTA, ÉRIPVIT, ÓRNÁTAM, IV́DICIVM, VEIGINTI etiam INVÉISA, DOMINÉIS, BONÉIS. Magna tamen cum probabilitate Buechelerus coniecit EI scripturam apice abundantem ab antiquitatis amatore postea male affectatam esse. Nullum nisi hoc exemplum eiusdem generis extat, ut in rei publicae liberae tempora cadat. Simili abundantia aliquoties in scriptura EI vocalem I longam reperiri postea videbimus. Sed ut ad i vocalem apicatam redeamus, rectene se habent verba Ritteri haec (l. c. p. 84) »quod Scaurus dicit super i apicem non poni, id ipsum inscriptionibus nostris approbatur?« Haud aliter ac Ritterus Langenus (in libro inscripto »de grammaticorum latinorum praeceptis quae ad accentum spectant«, Bonnae 1857) Scauri testimonium titulis comprobari affirmat, Corssenus autem i vocalem apicatam praeterit silentio. Quomodo apices in vocales singulas distribuantur, apparet ex his titulis longioribus:

	á	ó	é	ú	í	áe	áu
Mon. Ancyr.	157	102	65	49	1	1	—
Act. fratr. Arval.	78	87	19	27	1	24	1
C. I. L. VI, 1527 (Aug. temp.)	41	23	23	17	(1)	1	—
— VI, 9797 (c. p. C. 126)	9	20	12	3	—	—	—
— VI,10230 (Aug. temp.)	21	5	5	5	—	—	1
— VI,12652	13	9	8	7	—	—	—
— VI, 1377 (c. p. C. 170)	11	19	2	3	1	—	—
— VI, 930	1	9	2	4	—	—	—
— XII, 3163—3197 (saec. II ineunt.)	24	30	13	10	1	6	—
— XII, 3203 (saec. II)	7	6	1	1	—	—	—
— XII, 4333 (Antonin. aetate)	11	3	5	6	—	—	—
— XII, 4393 („ „	35	29	13	12	—	—	—
— XII, 6038	7	8	1	3	—	—	—
	415	350	169	147	4(5)	32	2

[1]) Voluminis VI inscriptio accuratius est exarata.

Videmus igitur in universum in titulis optimi temporis praeceptis Scauri obtemperatum esse. Attamen etiam in titulis bonae auctoritatis i vocales apicatae extant. Ac primum talem reperimus in Monumento Ancyrano, ubi I, 15 Mommseni opinione casu quodam EXCÍDERE neglegenter videtur insculptum esse a lapicida. Apex supra i positus in tit. C. VI, 1527 est valde dubius. Titulus C. VI, 1377 quem solus servavit Ligorius praebet EXSPEDÍTIONEM; sed quoniam anno fere p. Chr. 170 tribuendus est, nihil miri habet apex, saepissime enim saeculo iam secundo supra i apicem invenimus. Exempla autem Corporis sunt haecce:

II, 1473: PÓNÍQVE (saec. I)
— 1989: MARCÍ
— 2126: MVNICIPÍ, PORCÍS
— 3843: PEREGRÍNAE (c. p. C. 100)
— 3850: MÍLIT(um)
— 4554: FÍLIAE SECVNDÍNAE
III, 6759: LÍCTOR, CONIVGÍ, VÍXIT, PRÍMÓ
— 7272: FÍL(I)
IV, 805: SÍRICVM
V, 308: VÍBIO
— 337: VÍVÍ
— 4359, 5126: MÍLITVM
— 4384: FÍL(io) PRÍMO (aet. Aug.)
— 4387: DÍVAE
— 5099: IVVENTÍ
— 6389: VERÍCOCII
— 7430: LEGISTÍ, VÍXIT
— 7487: FABRÍ
VI, 77: CAE · LES · TÍ
— 404: IOVÍ
— 494: MATRÍ
— 607: DOMINÍ
— 3555: SÍBI
— 3940: SATVRNÍN
— 4242: MATRRÍ
— 4867: DÍS
— 6306: AFRÍANÓ
— 6319: FOVÍ
— 6516: SIBÍ POSTERÍSQVE
— 6593: PRÍMA FRÍGIDA
— 6596: MANÍBVS
— 6814: VÍX(it)
— 7195 a: FVLFÍDIAE
— 7459: RVTÍLIUS ADIECTÍS (c. p. C. 100)
— 7578: SÍ (p. C. 127)
— 8619: MAGISTRÍ
— 8652: LÍVIÓ TABELLÍS
— 9114: SALVÍ ANNÍS
— 9571: DÍS
— 10227: PRISCÍANI VIXÍT
— 11230: VÍCTORÍA
— 12133: APÍSIO FÉLÍCITATAÉ LÍBERTÁBVSQ, MEÍS
— 12637: ATÍLIA

VI, 12653: MANÍBVS
— 13656: FÍLIO
— 14545: DÍS
— 14959: DÍVI
— 15825: NÍCÉ
— 16335: LÍB(ertus)
— 16631: FVNDANÍ (p. C. 107)
— 16849: NÍCÉ
— 18541: PRÍMA
— 18702: MERENTÍ
— 19673: ÍLIADI
— 20036: SVÍS
— 20794 a: DÍS (20899)
— 21189: FÍLÍS
— 21446: AESCHÍNE
— 21888: POSTERÍSQVE
— 22355 a: DÍVNXISSET
— 22503: VIXÍT ANNÍS
— 23271: POSTERÍSQVE
— 23580: DÍS
— 24317: VÍXSIT
— 25767: DÍS (26070)
— 26814: SATVRNÍNO
— 26893: ANNÍS
IX, 5478: FVFÍCIAE
— 5533: DÍVO
— 5534: VÍVOS
— 5646: AMBÍVIO
X, 531: FASTÍGÍVM
— 929: HYGÍA
— 1055: NOVELLÍVS
— 1081: ÁEDILÍ
— 1914: DÍS BRÓMÍVS
— 2200: PRÍMIGENI
— 2286: SIBÍ
— 2595: VÍXIT
— 2750: MVLTILLÍVS
X, 2878: LÍBERTÍS MEÍS POSTERÍS
— 2940: SCVRRACÍAE
— 2955: LÍBERTÍS LÍBERTÁBVS
— 3050: ANNÍS FÍLIÓ PIISSIMÓ
— 3170: LÍBE(rtis)
— 5831: OPTATÍNO
— 7521: AVÍENÓ
— 8327: VÍBIÁE
— 8404: PRÍSCIANO
— 6640: ÁNTIATÍNAE (p. C. 85)
— 6662: SACERDOTÍ
— 6789: NYMPHÍS
XI, 825: PARTHICÍ
— 1118: VÍTÁE CVNÍS FÍLO VÍVENTI LVCÍLIÁNVM
— 1147: SÍLVIS NAEVÍS (p. C. c. 110)
— 1199: VXÓRÍ
— 1940: FÍL · PRÍSCVS
— 2315: PEREGRÍNAE
— 3097: TRÍB et al (septies)
— 3123: QVÍNQ. (3260. 3364) AÉDÍLITÁT · MÉNSVRÍS
— 4215: FLÓRENTÍNVS SIBÍ PRÍSCVS
XII, 81: AVÍTAE (saec. II)
— 594: PAGANÍS, VSÍ, ANNÍS
— 662: ONESÍMÓ
— 747: SECVRÍTÁTI AEMÍLÍAE . CONIVGÍ .

XII, 1357: FÍLIÓ, MÍLITVM, RÍPÁE, QVÍ, REÍ, V́SSV́RÍS, RELÍQVIT (saec. I)
— 2245: FLÁMÍNÍS
— 2338: DOMETÍNA
— 2621: CONNÍ·SECVNDÍ
— 2914: AMÍCVS
— 3163: IVDICANDÍS
— 3499: ÍRE
— 3502: FÍLIÓ, RARISSIMÍ (saec. III)
— 3584: FIRMÍNO
— 3678: GRATÍNVS
— 3801: DÍS (saec. III)
— 3851: QVÁRTÍNIAE, VÍVOS (saec. I)

XII, 5813: NATÍS SVÍS
— 3965 add: FÍLIVS (saec. II)
— 93: DÍVI, PARTHICÍ (aet. Hadr.)
— 245: AVÍTVS SÍLANVS (p. C. 92)
— 349: LONGÍ, FABÍ, RVFÍ, GRATTÍ, SACRÍS
— 409: QVADRÍGAM
— 972: (con)IVGÍ, POSTERÍSQ
— 1170: POSTERÍSQ
— 2347: RHODÍNE
— 2427: (Serap)IDÍ, ISIDÍ
XIV, 2556: VÍBI, SABÍNAÉ

Neque igitur scripturae eius generis sunt rarae, quamquam plerasque posterioris esse aetatis, i. e. secundi vel tertii sacculi, conicere licet. Certe id quoque persaepe factum est, ut ab hominibus parvi honoris et ingenii inscriptiones mendis gravissimis aspersae sint; quamobrem scripturae nonnullae, velut MANÍBVS, PIISSÍMÓ al., viris insipidis vel neglegentibus vitio sunt dandae. Tamen plerumque lapicidae voluisse videntur ut loco I longae vocalis apicata usui esset id quod, ut haec exempla ponam, e titulo C. I. L. IV, 805, ubi una cum SÍRICE legimus SÍRICVM, et XIV, 2556, ubi VÍBI simul cum VIBIO, et e titulo XII, 3801, ubi DÍS una cum DIS, elucet. Alias i vocales apicatas alio modo explicari posse infra videbimus.

Interdum etiam I vocalibus longis apex adscriptus est. Tale exemplum praebent Acta fratr. Arval. in titulo iam allato VI, 2041 (annis p. C. 58/59) I′SDEM (= iisdem). Haud scio an hoc in verbo apex i vocalem omissam significet. Quod verisimile est in scripturis notatis FÍLÍS (VI, 21189), DÍVNXISSET (VI, 22355 a) DÍS (VI, 4867, 9571, 14545, 20794 a, 20899, 23580, 25767, 26070; X, 1914; XII, 3801). Eodem modo I vocalis longa apicata explicari potest in DI′S VI, 14409; 15859; 19685; 21515; 21888). Tales igitur apices a veris secernendi sunt. Praeterea aqex I longae superscriptus est in SABI′NO VI, 3940; SPETI′S VI, 4867; SVI′S VI, 7527;

PRI′MITÍVS VI, 13656; MERENTI′ VI, 24614, CI′VI X, 3704; I′MP(eratore) X, 6640 (p. C. 85) VÍTAM XI, 600 AGRÍPPINAÍ XI, 3600. PIÍSSIMAE XII, 890 (v)I′TÁLIS XII, 3065 add.

Diphthongis AE et AV apex, ut par est, rarius adscribitur. Corporis Inscriptionum volumen primum exempla eius modi non exhibet. De exemplo Monumenti Ancyrani INÁEDE (24), quod Mommseni opinione errore operarum est scriptum, infra agetur. In Turiae laudatione (VI, 1527; a. u. c. 746/752) diphthongus AE apicata est semel. In Actis fratr. Arvalium quater et vicies, sicut notavimus, diphthongo AE apex abundanter est adiectus; in actis anni p. C. 80/81 (VI, 2050) insunt quadraginta apices, in quibus octo AE diphthongo superscripti. Neque sine ulla causa apex videtur positus; saepissime enim AE pro e vocali brevi scriptum esse sescenta fere inscriptionum exempla demonstrant. Exempli gratia affero: LAESAERIT C. IV, 538. MAEAE IV, 1684. QVAECVMQVAE IV, 2052. HIAERONYMVS V, 204. MAEMORIA V, 4616. AEQVITIS AEQVO V, 7784. AEQVES VI, 3409 (p. C. 197) PIAETATIS VI, 1783 (post Diocl.) AEQVES VII, 118. MAEMORIA VIII, 5709. PRAECOR VIII, 765. PRAECOR (in carmine male composito, ubi AE breve est) X, 4915. BAENE IX, 1002. SAERVA IX, 3637 alia. Ut ab hac AE brevi seiungeretur, AE longae apicem addendum esse lapicidae certe existimaverunt.

Nonnunquam quadratarii titulorum quorundam vocali certae apices apposuerunt. Creberrime ita AE diphthongus apicata adamatur. Notamus haec: C. I. L. II, 1178 in titulo aevi Antoniniani apex non reperitur nisi supra AE sexies; II, 1752 bis AÉ; II, 2657 quater ÁE; II, 2726 ter ÁE; III, 3355 sexies vel septies ÁE; III, 5262 ter AÉ; X, 2339 bis AÉ; X, 2406 bis AÉ; X, 5810 bis AÉ; X, 5958 bis AÉ; in titulo C. I. L. IX, 3060 apices, quos titulus habet, quater cum Á vocali coaluerunt; C. II, 3386 quinquies Ó; VI, 522 ter Ó; VI, 1088 ter Ó; VI, 1492 sexies Ó; VI, 3885 quater Ó; VI, 20098 ter Ó; VI, 20275 quater Ó; VI, 20466 quater Ó; VI, 21464 quinquies Ó; III, 6900 sexies Ó; III, 7123 quater Ó. Plerique horum titulorum in saeculum secundum cadunt.

Sequitur, ut quaeramus qua ratione in provincias et regiones imperii Romani tituli apicibus insigniti distributi sint. Monumenta publica, in iis Acta fratrum Arvalium, tabulam Lugdunensem, mo-

numentum Ancyranum, multo saepius apices continere [1]) statim in telleget quisquis Corpus Inscriptionum perlustraverit, velut in Romae titulis sepulcralibus minoribus (C. I. L. VI, 10229 sqq.) apex non tam crebro insculptus est quam in publice positis. In urbis autem inscriptionibus longe plurimos apices esse repertos quis mirabitur? Hic enim in summa sescenti fere tituli apicati inveniuntur (cfr. vol. VI part. 1. 2. 3) Ceteras Italiae partes perlustrantibus plurimi apices nobis occurrunt in media regione et inferiore, hic plures, illic pauciores (cfr. vol. IX, X, XIV). In Bruttiis quidem et Lucanis, ubi pauci tituli sunt hucusque reperti, quantum video, apices omnino fere desunt. Aliter tamen res se habet, si propius ad urbem Romam accedimus. Nonnulla exempla afferre mihi liceat: Calabriae unus, Apuliae quinque, Hirpinorum octo, Samnitium septem, Frentanorum et Marrucinorum sex, Paelignorum novem, in quibus sex Corfinienses, Vestinorum Marsorum Aequorum quattuordecim, Sabinorum quattuordecim tituli habent apices. Eodem modo in Corporis volumine X Campaniae inscriptiones longe plurimos exhibent apices: ex. gr. ex 292 inscriptionibus Pompeianis 28, e centum fere inscr. Herculanensibus 7, ex 1800 fere inscr. Puteolanis plus centum, ex 347 inscr. Misenensibus 19; at inter Siciliae 537 titulos non plures quam quinque, inter Sardiniae et Corsicae titulos 487 tantum quattuor reperiuntur. In Aemilia et Etruria (vol.XI)et in Gallia Cisalpina (vol. V) non tam crebro apices occurrunt quam in Italia media et inferiore; attamen satis multi.Veronae,Cremonae,Brixiae rarissime extant, aliis autem locis (Tergestis, Aquileiae al.) saepius. Rariores tamen apices insunt in titulis extra Italiam repertis. Si Corporis inscriptiones latinas singulas inspiciemus, videbimus Hispaniae titulos prae aliis satis magnum numerum apicum exhibere in omnes partes dispersorum (37 inter 5096; cfr. ind. vol. II). Plures autem inveniemus in Gallia Narbonensi (vol. XII), ubi inter 6038 titulos 274 apicibus ornati sunt. Mira saepe est diversitas usus, velut in hac provincia multo plurimi tituli apicati extant Nemausi (155 inter 1018), cum Narbone Martio inter 1046 tantum 6 tituli apices exhibeant.

---

[1]) Itaque Huebneri verbis (l. c. p. LXXVI) neque his »rarissime apex in i littera ponitur« neque his »in actis minus frequens est quam in titulis« assentiri possum.

In titulis Asiae, provinciarum Europae Graecarum, Illyrici virgulae illae rarissimae sunt, etsi in Dalmatia et Norico i. e. locis urbi Romae propinquioribus interdum reperiuntur (cfr. vol. III). Denique Africanas quidem inscriptiones 10988 Corporis volumen VIII continet, attamen unam tantum vel duas apicibus ornatas dubiae auctoritatis. Atque Britannia provincia, quae plurimum aberat ab urbe Roma, inter 1355 inscriptiones voluminis VII nullum apicem exhibet.

Apices igitur maxime, sicut videmus, Romae floruerunt eorumque usus quo remotior locus erat ab urbe, eo magis exiguus erat.

Jam supra diximus nonnullis titulorum locis apicis signo aliud expressum esse atque vocalem longam. Restat ut haec quidem pluribus verbis exponamus. Ac primum quaeritur accentusne, sicut superioribus temporibus viri docti censuerunt, apicibus significati sint. Quae quaestio instituta est de scripturis PVTEÓLIS (C. I. L. X, 1889) et PVTEÓLANVS (C. I. L. X, 8370), ubi apices Langenum (»de grammaticorum latinorum praeceptis quae ad accentum spectant« Bonnae 1857) Schmitzium (l. c. p. 43) al. vehementer sollicitaverunt. Schmitzius apicem quantitatis signum esse ratus longam vocalem fulcire vult vel maxime trans. scriptione graeca *Ποτιωλοις* quae praeter crebriores scripturas *Ποτιολοις Ποτιολανος* semel (C. I. G. III, 5853) reperitur. Valde tamen dubito num qua fides tribuenda sit illi scripturae Graecae semel repertae. Titulorum autem habitus impedit, ne credamus apices illos explicandos esse ex inscitia neglegentiaque fabrorum. Itaque Guil. Foersterus (in mus. Rhenani vol. 33 p. 298) censet in PVTEÓLIS non quantitatem, sed accentum quendam significari sic iudicans: »Das Deminutiv-Suffix-ŏlus (z. Bsp. kl. lat. filiŏlus) erhielt überall den Ton, also filiólus; doch ist das o kurz geblieben, daher der apex auf einer Inschrift in dem Worte Puteólis nicht die Quantität, sondern den Ton bezeichnet, was auch an andern Stellen anzuerkennen sein wird.« Nescio tamen quos alios locos intellegi velit; ipse exempla huiuscemodi non affert. Certe Foersterus illam vim apici non tribuisset, si inscriptionem PVTEÓLANVS postea repertam ante oculos habuisset. Seelmannus, qui sermone Italiae meridionalis vocis Puzzuli penultimam accentum habere annotat et filiolus cum filleul Francorum, aviolus

cum aïeul [1]) confert (l. l. p. 51), in PVTEÓLIS vi atque potestate accentus o vocalem productam esse existimat. Videtur igitur hoc in nomine longa vocalis inter o et u sita pronuntiata esse. Sed utrum apex accentum an quantitatem exprimat, non satis apparet e Seelmanni verbis, qui ad sententiam suam confirmandam tituli Puteolani (C. I. L. X, 1571) scripturam ÍÓVI in medium profert, ubi accentu eandem o vocalem longam factam esse putat. Sicut autem mea fert opinio, apex hic mirus, qui aliis argumentis non comprobatur, non solum hoc loco, sed etiam XII, 1219, si (I)ÓVI recte legitur, aut operario vitio est vertendus aut — id quod saepius fit — abundanter adiectus est i vocali longae. Utut autem est, apex eorum verborum, de quibus supra diximus, videtur mihi quantitatis, non accentus signum esse; crediderim tamen in illo nomine, ut saepenumero accidit, per synizesin Putjoli pronuntiatum esse, cuius rei documento est PÝTIOLAN. plane insculptum (C. I. L. VI, 21953).

Interdum commovemur, ut in carminibus ictum apice quodam significatum esse coniciamus, velut legimus in titulo C. I. L. I, 1194 = X, 6009 (Bücheler spec. 1, 23): BONÉIS PROBÁTA INVÉISA · SVM Á · NVLLA PROBÁ sqq. Quamquam res est valde dubia, cum praesertim apicum signa figurae insolitae sint et apices semper supra vocales natura productas scribantur. Itaque aliquid certi nequit dici. Haud aliter de titulo C. I. L. VI, 6319, ubi in quattuor distichis duodecim insunt apices, qui omnes syllabis ictu affectis superscripti sunt.

Deinde ab apice acriter seiungenda est virgula similis generis ad geminationem consonantium significandam a Romanis adhibita; cui signo a grammaticis nomen inditur sicilico. Etsi nominis sicilici mentionem non facit, tamen eiusmodi notam in usu fuisse iam docet Velius Longus qui grammaticus Traiani aetate floruit, hisce verbis (Keil. gr. L. VII. p. 79): »Nimiae rursus elegantiae sectatores non arbitror imitandos, tametsi Nisus auctor est, ut comese et consuese per unum s scribamus, et dicit rationem, quia iuxta productam vocalem geminata consonans progredi non soleat et quoniam antiqui non geminaverint consonantes,

[1]) Praeterea inspicias de hac re Groeberum (Archiv f. lat. Lexicogr. u. Grammat. l. c. sub verbo).

sed loco geminationis notam superposuerint.« Nomen huius notae primus commemorat Marius Victorinus (K. VI, 8, 1—5: »Antiqui . . . supra litteram quam geminari oportebat sicilicum imponebant, cuius figura haec est ', quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris.« Atque Isidorus in Orig. I, 26 »ubi litterae consonantes« inquit »geminabantur, sicilicum superponebant, ut SEĽA SEŔA AŚERES.« Quamquam uterque horum grammaticorum recentioris aetatis est alterque quarto, alter septimo saeculo Christiano viguit, illud tamen signum consonantium geminandarum haud multo post apices in usum videtur venisse. Extat enim sicilicus praeterquam quod OŚA (C. I. L. X, 3743, Cumis) reperitur etiam C. I. L. V, 1361 (Aquileiae; cfr. V, 8981 a) SABEĽIO qui titulus quippe cum, ut Mommsenus annotat, litteris vetustis sit scriptus in reipublicae liberae aetatem cadere videtur, et fortasse XII, 414 in titulo Massiliensi . . . ROMAĆA. Iniuria autem Corssenus l. l. in titulis prorsus non posse ostendi sicilicum affirmat. Fortasse conicere licet Romanos veteres eo tempore quo apices adhiberi coepti sunt id egisse ut illis ipsis geminationem litterarum sive vocalium sive consonantium significarent atque ita Accii scripturam simpliciorem redderent. Marii Victorini verba quae supra attulimus hanc sententiam meam videntur confirmare. Quo autem iure Kellermannus affirmet (l. c. p. 128): sicilici »signum virgulae simillimum (') supra litteram V ponebatur, ubi antiquitus OV ponebatur, ut in RV́FA, SV́RA, FV́RIVS, PHILOMV́SVS, SV́TORIVS, IV́LIO«, prorsus nescio; grammatici utique sicilicum aliud esse contendunt. In titulis etiam super vocalem geminationis nota posita videtur, in titulo Cyziceno (C. I. L. III, 371), si Peyssonel recte descripsit, SV́M (= suum; cfr. su͡um monosyllabon apud Plaut. Mil. glor. 135, apud Ennium sis (= suis) oculis) atque in laudatione Turiae (C. I. L. VI, 1527 d 58) DÉRVNT (= deerunt; veri autem simile est hac in scriptura virgula non geminationem significari, sed tantum productionem vocalium contractarum), deinde in titulis Nemausensibus AEDV́S (= Aeduus) XII, 3325 et SALV́M (= salvum; bis XII, 3499, ubi cum praeterea VÉNIRE et ÍRE verba sola apices vel virgulas ostendant, de veris apicibus nequit cogitari), denique singulae notae reperiuntur in tit. Deensi XII, 1598 supra SERV́S (= servus) et XII, 2522 (inter Augustum

et lacum Lemannum; saec. I) supra SERV́M. Hae omnes scripturae non possunt explicari nisi quod lapicidae VV litteram iuncturam Romanis insolentem (cfr. ecus pro equus, quom pro quum) adhibere veriti sunt. Accedit quod XII, 1598 et 3325 et 3499 loci inopia quadratarium coegit ut compendiariam rationem scribendi sequeretur. Ex scripturis VIV́VS XII, 3384 (saec. III) et VÍVS XII, 4197 (saec. II) apparet, quam moleste quadratarii VV litteras coniunctas tulerint. Itaque in SERV́S apicem simpliciter vocalem productam indicare posse Huebnerus[1]) perperam iudicat.

Specie quidem apices sunt similes, re autem differunt virgulae, quae verbi vel versus cuiusdam finem significant. Quem usum interpungendi Romani veteres et in scribendo et in sculpendo adhibebant. Illud papyri Herculanenses nuper a Scottio editae, hoc Corporis tituli cuiuslibet regionis demonstrant. Namque illarum papyrorum fragmenta C E F G H virgulas illas ita prae se ferunt, ut notula ′ vel ⁊ versus, notula / autem vox quaedam finiatur. Hanc notam / cum aliis in titulis reperimus[2]) tum is qui sculpsit Monumentum Ancyranum haud ignoravit; e. g. 31, app. 2, app. 4 al. Operae autem pretium est, quoniam in rem nostram cadit, de Monumenti illius interpunctione memorabili paulo longius disserere. Ac primum audiamus quae Mommsenus hac de re annotavit (Res gest. d. Aug., Berol. 1883, p. 190): »Unius cuiusque capitis littera prima eminet; in fine solet adscribi comma formae 7, rarius ʒ. Eodem signo faber aliquoties (ut I, 1; VI, 1) usus est ne confunderentur paginarum duarum versus iuxta positi solito interstitio deficiente . . . Etiam intra capita, quo commodius lectio procederet, faber commata significavit aliquoties signis iisdem, plerumque interposita virgula ′ vel interstitio solo. Omnino re non differunt pendentque ab arbitrio scribentis notae hae omnes.« Et paulo post pergit: »Verba in Latinis separantur punctis interpositis plene et diligenter scilicet ut praepositiones saepe enclitice substantivis suis adiungantur.« Hic usus praepositionum encliticus, cuius Mommsenus mentionem facit, in titulis est creberrimus: aut

[1]) Exempla scripturae epigraphicae lat. p. LXXVI.

[2]) C. VI, 2843. 2858. 7502. 10230. 13226. 13713. 13768. 14210. 14243. 15065. 15104 al. ′ vel /

punctum non insculpitur aut praepositio cum voce sua coaluit. Duo autem virgularum harum exempla, sicut mea fert opinio, Mommsenus falso diiudicat: primum in SVMMÁ nominativo apicem adesse super vocalem brevem errore fabrili, tum cum diphthongis in hoc monumento nusquam adscribatur apex, ÁEDE IV, 22 errorem esse operarum. Equidem utroque loco interpunctionem significatam esse crediderim. Quoniam in omnibus ceteris verbis apices recte sunt positi, SVMMÁ nominativi syllaba ultima producta certe nequit tolerari; interpunctionis autem virgulae, sicut vidimus, in Monumento Ancyrano saepius occurrunt. Atque in ÁEDE signum esse interpunctionis magna cum probabilitate demonstrare possumus. Invenimus enim illo loco INÁEDE interstitio et puncto deficiente. Ut alibi saepissime, ita hic quoque praepositio enclitice adhibetur, ad quem usum demonstrandum virgula videtur esse posita, quae verba etsi enclisi sub unum accentum coeunt tamen inter se disiungenda esse ostendit. Neque aliter paullo post INÁFRICA scriptum est usus enclitici et praepositionis separandae gratia. Eiusdem generis complura exempla mihi occurrerunt Corpus Inscriptionum pervestiganti. Velut in tit. C. II, 3426 (temp. August.) semper inter singula verba puncta sunt posita, unum ÁPORTA apicem praebet. Igitur hic quoque apex non vocalem longam, sed interpunctionem significat ad praepositionem artissimo vinculo cum voce sua coniungendam. Idem de titulo Corfiniensi (C. IX, 3159), ubi verba punctis separata sunt excepto ÁPOPVLO; praeterea X, 789: ÁPOPVLO, X, 2311: ÁDECIMO, X, 3903: ÉFORo, X, 3967: ÁPLV́MBO, VI, 4242: ÁMANV, VI, 5263: ÁGREMIO; VI, 5884, 5885, 7281 a, 7368, 8483, 8570, 8617, 8630, 8633, 9044, 9447, 9537, 10493; XIV, 254 al. atque simili modo VI, 427: ÉX · ÓRACVLÓ; X, 3704: ÁDCVMVLANDÁ · MVNERA; ÁDLECTÓ; ÁDMINISTRAVIT; VI, 12129: ÁBESTO; VI, 9514 al.

Multos in errores collapsi sunt ii qui tum, cum virgulae non erant postpositae verbis, sed verbi litterae vel syllabae ultimae superscriptae, illis vocales longas expressas esse existimaverunt. In quibus erat Ritterus, qui illud signum interpunctionis in laudatione Turiae (nunc quidem denuo collata in Corp. vol. VI, 1527) aliquoties verum esse iudicavit apicem; velut annotat ad nominativum PASSÁ: »apex in voce PASSÁ perperam positus aut sculp-

toris aut Marini errori tribuendus videtur.« Semel inscriptio eadem praebet (is)TÍ; quoniam autem annis a. u. 746/52 adscribenda est atque illo tempore i vocali apex additur aut raro aut nunquam, haud secus ac supra in PASSÁ virgulam interpunctionis hic quoque apparere potius crediderim. Recta tamen coniectura Rittero in mentem venit paullo post in laudatione Murdiana tractanda dicenti multa apicum exempla ita esse comparata, ut post illa nostro more commate vel alio interpunctionis signo distinguendum esset. Kellermannus, qui disputationi suae de accentibus habitae addidit verba apicata atque secundum numerum syllabarum in ordinem redacta, etiam scripturas affert quales sunt ÉT, ÉX, ÓB, FABÉR, FECÍT, FILIV́S, TELEPHV́S, POSTERISQVÉ, ubi interpunctionem significatam esse, etsi vir doctissimus non vidit, certe manifestum est. Omnia Corporis exempla, quae interpunctionem quandam exhibent, enumerare operae non est pretium; [1]) haec tamen affero: C. VI, 2080 (p. Chr. 120) AD SACRÁ VOCAVERVNT; C. X, 2438 POSSIDENDV́M. Duobus his locis virgula posita esse videtur pro punctis plerumque adhibitis; praeterea CORNELIÁ (nomin.) X, 3570; RES PVBLICÁ X, 7192; QVÁM IX, 60 (p. C. 100); ANNIV́S VI, 77; FVNV́S II, 6986; TITVLV́M VI, 24614; SITA ÉST II, 1989, ubi verbo ineunte interpunctionis virgula inscripta est; SPERÉT ET VI, 18579; (sartor)V́M et TECTORV́M XIV, 2922; porro VI, 16088. 16089. 17526. 20074 cet. Numerus exemplorum facile potest augeri.

Saepenumero apices compendii notandi gratia scriptos esse Kellermannus iam animadverterat. Dicit enim l. c p. 107: »accentus interdum nihil aliud significare videtur nisi decurtatum esse verbum, sicut in permultis notis hanc lineam superpositam videmus.« Affert ipse F́ = fecit, F́ = fori, Ḿ = Marco, Ḿ = mille, QVIB́ = quibus, Ḿ = manibus, Ḿ = mensibus, LIB́ = liberta, Ĺ = Lucius, IMḾ = immunis, VOĹ = voluntate, CÓS = consulibus, [2]) Ṕ = piscarii, VEST́ = vestiario. His adiungimus D́ Ḿ = dis manibus (sescenties), Ḿ = merenti, Ṕ F́ F́ = piae felicis fidelis, ANŃ = annos, Ń = nummum, PRAEF́ = praefecto,

[1]) Cfr. de interpunctionibus Huebnerum (l. c. p. LXXIV sqq.)

[2]) CÓS XII, 3148. 3149 (a. C. 25) CŌS XII, 3163. 3170. 3171. 4344 (p. C. 164) 5366 (p. C. 239) 5905 (p. C. 161).

VÁL (= Valeria) XII, 2245 CÓL (= Collina) X, 8182. CÓH (= cohortis) XII, 2602 CONIV́G (= coniugi) XII, 1956. 3476. SACERDOT́ XIV, 2922. PRIMIǴ (= primigenia) XIV, 2851. Ṕ (= populo) XIV, 3608 VRB́ XIV, 3608 al. (cfr. Corporis indices).

Denique ad errores fabriles multi apices referendi sunt. Itaque Seelmanno assentiri nequeo qui apices qui sequuntur physiologice, ut ita dicam, natura consonantium explicare conatus est: EX́ C. X, 3551. 3618. OBSEQVENTISSIḾE, PVDICISSIḾE X, 1699. PRIḾITIV́OS, FIĹIO, IŃSTEIA X, 6100. HERḾES X, 2940. ÓRIEŃS X, 712. B́ROḾIVS X, 1914. SERVILIAE, INV́ICTAE C. VI, 353 (p. C. 51).

De his Seelmannus p. 128: »Dass hier die Setzung des Apex nicht irrthümlich und zufällig ist, geht einmal daraus hervor, dass in denselben Inschriften mehrere Beispiele der Art begegnen, sodann vor allem daraus, dass immer nur Laute bezeichnet sind, die eine hörbare, dehnungsfähige plosiva zulassen, d. h. liquidae, fricantes und weiterhin die mediae b d g.« Attamen puto ob eam ipsam rem quod in iisdem titulis complures apices eius modi occurrunt illos a sculptoribus neglegenter esse positos. An Seelmannus apices supra CONIVNĆTO (C. VI, 1527 e 9) vel supra E litteram vocis OMPHAĹE (C. VI, 6212) vel supra FĹAV́II (C. VI, 18362) al. positos illo modo explicare vult? Recta iam vidit Ritschelius qui in Opusc. IV, p. 378 dicit haec: »Nicht selten ist das Zeichen für den Apex mit einer gewissen coulanten Nonchalance, aber dann ziemlich regelmässig, nicht genau über den Buchstaben gesetzt, wohin es gehört, sondern in schiefer Richtung daneben angebracht: ungefähr wie die Cursivschrift mancher modernen Hand den Halbzirkel des u oder den Punkt des i eine Strecke weiter rechts zu setzen die schlechte Gewohnheit hat.« Hoc modo omnes fere apices quos Seelmannus supra affert, facile explicantur; in ÉX interpunctionem significatam esse verisimile est (cfr. spr.); de B́ROḾIVS autem idem fere dicendum est, quod ad Corp. tituli VI, 21846 versum quartum PER NEMORÁ ET CAḾPOS PROT́INVS ELYŚIOS ab editore annotatum est: »id tantum egisse videtur quadratarius, ut spatiis aequalibus supra versum lineolas quattuor adderet.« Eadem ratione operarius in INCHÓATVM (C. V, 309) apicem neglegenter videtur posuisse.

Hactenus in universum de apicibus. Nunc, antequam ad singulas res apicibus demonstratas me converto, uberius disputabo de altero signo titulorum quod mihi propositum est:

II de i longa.

De huius signi origine iam supra pauca exposuimus.

Ansam aliquam nobis dant papyri Herculanenses a Scottio editae, in quibus I longa permultis locis hocce fere modo scripta est: ˥, quam scripturam ex i geminata exortam esse verisimile est. Sicut vidimus, Accius, auctor geminationis vocalium, i vocalem non geminabat, sed potius EI conservabat. Sullae iam temporibus scriptura Acciana extensa esse videtur ad i vocalem longam ita, ut littera non adscriberetur, sed superscriberetur. Ab ˥ scriptura paullo post usus illius lineolae latius patuit in ceteras litteras geminandas, sive vocales apicibus, sive consonantes sicilicis ornabantur. Ita omnes hae notae optime adiunguntur ad Accii rationem scribendi. Quae cum ita sint, magnus numerus i vocalium apicatarum, quae in titulis reperiuntur, non tam mirus est. Terentii Scauri praeceptum supra dictum id solum velle videtur, ut I longa uno tractu, non apice proprio scribatur; »melius enim«, inquit, »I in longum producetur.«

Semel tantummodo (C. I. L. I, p. III) in inscriptione anmuli aurei Teramensis vocalium geminationem una cum i littera producta usui fuisse videmus; legitur enim HOSPITAALITAS INTERPROMINI. Ritschelius (Opusc. IV, p. 381) anno fere a. u. 670 illam esse confectam opinatur, quo tempore vocalium geminatarum usus paene omnino exstinctus erat. Quapropter dubito an annulus sit affectatae antiquitatis. Fieri autem potest, ut illud I non vocalem longam significet, sed melioris speciei causa, cum versum finiat, a sculptore productum sit. Si tamen Ritschelii coniectura recte se habet, I longiusculae, quantum scio, omisso milliario Popilliano in illa inscriptione primum fere exemplum est.[1])

[1]) Quamquam nummum quendam (C. I, 336), in quo CALID(ius) inscriptum est, Cohenius anno a. u. 594, Ritschelius anno circ. 668 (Op. IV, 356) percussum esse coniecit; quo iure fecerint, quaerere supersedeo.

Tempore haud procul distat titulus anni fere 672/675 (C. I, 584), ubi legimus FELICI et VICVS.

Illo milliario Popilliano (C. I, 550) — opinione sua anno 134 ante Chr. n. (620 a. u.) posito — valde confisus Mommsenus i productioris originem putat arctissime cohaerere cum vocalium geminatione. Quod ne ponamus, titulorum tempus silentiumque grammaticorum impediunt. Neque enim grammatici latini tale quiddam tradiderunt neque in ullo titulo, si exemplum quod supra notavimus excipimus, uno atque eodem tempore vocales geminatae simul cum littera i longiuscula reperiuntur. Sicut autem Ritschelius recte annotavit, perfacile fieri potuit, ut lapis ille Popillianus Sullae fere temporibus vel postea sit restitutus. Atque id quidem factum esse multa argumenta a Ritschelio l. l. iam adhibita ostendere videntur. Igitur hoc unum exemplum dubium praeterquam quod litterane i solita an eius forma productior sit saepissime pro certo affirmari nequit, per se de i longae tempore nihil demonstrat.

Quantopere ad universam de i longa quaestionem bene solvendam optanda sit accuratissima descriptio imagoque titulorum litterarum, iam Ritschelius perspexit. Ipse talis generis exemplaria nobis praebuit in Priscae Latinitatis Monumentis Epigraphicis atque Huebnerus inscriptionum palaeographiam aliquanto magis quam hodie fieri soleat respiciendam esse ratus operi Ritscheliano addidit Exempla Scripturae Epigraphicae Latinae (a Caesaris dictatoris morte ad aetatem Iustiniani).

Multi enim tituli, qui obiter intuenti i longam exhibere videntur, accurate inspecti i litteram specie productam, re vera casu aliquo figuram eius paullulum mutatam esse demonstrant. Velut in DICTATORI (C. I, 585) aliis vocabulis,[1]) in quibus i longa inesse videtur nil nisi litteram i solitam legendam esse iure monet Ritschelius. Ob eam ipsam rem quaestio de i longae vi ac natura habenda quoniam fieri non potest ut tituli universi in manibus nobis sint, periculosae plenum opus aleae est, quamquam valde nobis cavendum est, ne in iis exemplis, quae primo obtutu nobis

[1]) Exemplorum dubiorum quae facile augeri possunt numerum satis magnum affert Ritschelius p. 364 sqq.

mira videntur, I litteram casu quodam supra lineam productam esse extemplo ponamus. Quantum viri docti, utrum i longa insculpta sit necne, saepe inter se dissentiant, demonstrat titulus C. I. L. VIII, 270 a Guerino et Wilmannsio descriptus: Wilm. legit AFRICANI, G. AFRICANI; W. IN PROVINCIA, G. IN PROVINCIA; W. MENSIS, G. MENSIS; W. TERRITORIO, G. TERRITORIO; W. NVNDINAS, G. NVNDINAS; W. ONESIMI, G. ONESIMI. Quamquam in hoc titulo, quoniam aliae quoque litterae producuntur, I longiuscula non habet vim nisi ornandi, apparet quam suspiciosi esse debeamus in lectiones titulorum. Hae tamen difficultates nos quidem non impedient, quominus quaestionem nostram instituamus. Namque licet in multis de fide haud parva sit dubitatio an reapse i longa inscripta sit, satis multa tamen exempla restant quae inter se collata atque cum ceteris scripturis coniuncta verborum prosodiam naturalem apertissime nobis ostendant. Quod attinet ad figuram I longae, vix est quod lineolam saepius in alterutram partem diversam esse notemus.

Vocalem I longam ex Sullae fere temporibus, ut EI scripturae locum obtineret, creatam esse iam dudum exploratum est. Qua nova scribendi ratione accepta EI diphthongus in usu esse non desiit quidem, sed etsi rarius, diutissime permansit. In antiquissimis titulis, qui I litteram productam exhibent, numerantur tit. anni fere a. u. 646 (C. I. L. X, 3776 = I, 565; Ritsch. tab. LXIII a), qui AVRELIO habet, tit. anni f. a. u. 649 (C. X, 1781 = I, 577), ubi QVI, IN · SVPER, ABIEGINEAS reperitur, tit. anni a. u. 662 (C. VI, 1283) scripturam VIS (= viis) continens. Videmus igitur apices et i longas eodem fere tempore exortos esse. Et EI scripturam et I longam et apicem affert titulus Sinuessanus (C. X, 4727 = I, 1199) iam ad septimum urbis saeculum Ritschelii opinione pertinens, legitur enim in illo CRÝSTVM, PÁPIEIS, SENVISANIS, COLONIS (= coloniis) al. Praeterea iam in titulo legis Rufrenae (C. I, 626), quem in annum a. u. c. 711 incidere Mommsenus coniecit, (DIVO IÝLIO) reperitur I longa una cum apice.

I vocalis longae, quae iam reipublicae liberae temporibus abunde in EI scriptura invenitur (C. I, 1418: QVEI, POSTEREIS), usus in dies magis increbuit, maxime autem floruit primo post

Christum natum saeculo. Nulla tamen aetate scriptura illa omnibus probata est adeo ut i litterae forma solita ad vocalem longam significandam omnino sit reiecta. Quin etiam in Monumento Ancyrano, gravissimo aevi Augustei testimonio, I longa plerumque in terminationibus solis reperitur, persaepe autem i littera solita atque ter scriptura EI (cfr. Mommsen., res gest. div. Aug. p. XXX—LXIV). In primis de I longae usu Acta fratrum Arvalium (C. VI, 2023—2119 i. e. ab anno p. C. 14 usque ad a. 241) nos certiores facere possunt. Primo satis raro, tum creberrime adhibetur I longa anno p. Chr 38 (C. 2028), ubi apicem deesse mirum est. Haud scio an casu factum sit, ut imperatoris Claudii, novarum litteratum inventoris, aetate I longa semel tantum, apex nusquam inveniatur. Permultae autem I longae extant a. 58/59 et a. 59/60, ultra quem annum etiam Claudii digamma inversum in Actis non servatum est. Lapicida~~rum~~ suum quisque morem secuti sunt: modo I longam adamabant (a. 38. 89), modo apicem (a. 80/81) Usus litterarum speciei causa supra lineam producendarum crescit ab exeunte saeculo primo. Ab anno fere 130 p. Chr. propria et sincera I longae vis lapicidis ignota fieri coepit; itaque scripturis tituli 2086 (a. 155/213), quales sunt FLAMINE, DESVLTORIBVS, VICTORES, MINISTRANTIBVS, non multum auctoritatis tribuendum est. Tamen permulti quadratarii ipsius medii saeculi tertii I longae potestatem certe haud ignorabant.

Sed non solum vocalis quantitatem I littera supra lineam producta significavit. Ab initio adhibita est pro semivocali j,[1]) velut inter vocales invenies C. I, 750 (p. C. 5) ATEI(o), I, 1229 LIVINEI(us), I, 1079 et I, 1418 EIVS. Multo saepius huius generis exempla reperiuntur in titulis aevi imperatorii, cfr. PETREIAE II, 976 EIVS VII, 409; VI, 9868. 9897. 10223. 15408. HVIVS VI, 9664. COIVGI VI, 10574. 10671. al.; satis habeo animum advertere ad ea quae Schmitzius (l. c. p. 72) et Corssenus (l. c. p. 20) hac de re pluribus verbis dixerunt.

Saepissime ineunte vocabulo I longa pro semivocali j usui fuit. Primum huiusmodi exemplum est IVLIO (C. I, 626), quod

---

[1]) Simili modo Claudius Caesar grammaticus, ut V vocalem ab V consonante secerneret, digamma inversum (Ⅎ) inducere studebat.

supra attulimus. In titulis, qui ad imperatorum Romanorum aetatem pertinent, sescenties legitur: ÍVNIVS II, 1030; ÍVLIO II, 1481; ÍVRIDICO VI, 1471; ÍVSSV VI, 407; ÍVSTISSIMO VI, 1001 (p. C. 143); ÍVSSIT VI, 65; ÍVLIVS VI, 5324; ÍVNIVS VI, 4882; ÍVSTVS VII, 99; ÍVLIVS VI, 975 (p. C. 136); X, 7024; VIII, saepe; IX, 130.

Sed etiam tum cum i vocalem consonans aliqua praecedebat et vocalis alia sequebatur, semivocalis j audiebatur. Itaque fit, ut tum quidem Í longa scribatur: CONÍVGI V, 8485; VI, 24562. 24567. VIII, 403; X, 3384. 6596. CONÍVNX VI, 15092; VII, 8. CONÍVNX X, 2279. Iam in titulo Capuano (X, 3776) supra allato AVRELÍO legimus atque in HOSTILÍ (= Hostilius; C. I, 750; p. C. 5), quod pro HOSTILÍS (= Hostiliis, Hostilius) extare Corssenus (l. c. p 21 annot.) mea quidem sententia falso iudicat, eadem pronuntiatio verisimilis est. Titulus XI, 1138, qui OCTAVÍO exhibet, Bormanni opinione liberae reipublicae aetatis esse potest. Praeterea affero: COLLEGÍO VI, 2040 (p. C. 58) CLAVDÍO VII, 12 (p. 58); DOMITÍA X, 7883 (p. C. 88) VALERÍO IX, 2860 (p. C. 106) VIBÍVM X,5670 (p. C. 107) FABÍVS VI,975 (Hadr. temp.) VIBÍVS (ibid. p. C. 136) SALVÍO VI, 855 (p. C. 150); CASSÍVM VI, 2086 (p. C. 155; AVRELÍÓ VI, 1377 (p. C. 170); LICINÍVS VI, 2102 (p. C. 193); CALPVRNÍO VI,724 (p. C. 194); CLAVDÍO AVFIDÍO VI, 1054 (p. C. 200); FLAVÍVS MODÍVS VI, 1058 (p. C. 210); THEODOSÍO VI, 1659 (p. C. 414). Corssenus in eiusmodi exemplis Í longam pro vocali brevi scriptam esse existimat aeque ac in tabulae Malacensis (C. II, 1964) Domitiani aetate confectae formis AERARÍO, COMITÍA, CVRÍAS, DECVRÍO, ACTÍO, PETITÍO, PERSECVTÍO. Si hoc verum esset, plus sescenties lapicidae erravissent; id quod negaverim. Tabula enim Malacensis Huebnero iudice incuriose insculpta, quippe quae modo hanc, modo illam litteram sine ulla causa producat, non multum habet momenti ad hanc rem diiudicandam. Certe tamen in innumerabilibus Corporis exemplis id statuendum est, quod Groeberus (Grundriss der romanischen Philologie. Strassburg 1888 p. 247) »progressive Assimilation« nominat. Linguae Romanicae semivocalem pronuntiandam testantur, quoniam ex radjum sermone Italiano raggio, ex Corneljum, contrarja, glorja

Francogallice Corneille, contraire, gloire exortum est.[1]) Quodsi scripturas FABIIVS (C. VIII, 2285) CORNELIIA (VIII, 5957) cum FABÍVS II, 1807; VI, 975 (p. C. 136) comparabimus, certe in hisce verbis sonum consonanti simillimum auditum esse coniciemus. Formae apicatae MÝLTILLÍVS X, 2750; NOVELLÍVS X, 1055 FASTIGÍVM X, 531 AVÍENÓ X, 7521 SCVRRACÍAE X, 2940 sententiae nostrae non obstant, quoniam Í eandem vim atque I longa habet. Quanta auctoritas transscriptioni Graecae *ει*, cuius pronuntiatio per se iam valde dubia est, in tit. VI, 11933 (ANTIΣΘΕΙΑ, ΚΛΑΥΛΕΙΑΙ) tribuam, nescio, cum in eodem titulo ab homine Graeco confecto etiam diphthongus AE vacillat (ΚΑΡΙΣΣΙΜΕ = carissimae, at ΣΑΒΕΙΝΑΙ = Sabinae).

Saepius inter duas vocales, ut semivocalis significaretur, i littera a Romanis veteribus geminata est: POMPEIIVS II, 1076. IX, 3748. EIIVS VIII, 3056 MAIIA VIII, 6386 al. De quibus vocabulis pronuntiandis Schmitzius (p. 71): »Prior i littera, inquit, cum antecedente vocali in diphthongi quidem sonum coalescebat unamque syllabam formabat, sed tamen per diaeresim pronuntiabatur; altera vero i consonantis vice fungens ad insequentem vocalem trahebatur.«

Interdum etiam pro una i vocali in terminationibus duae sunt positae, velut VI, 167 LANII, ad quam scripturam Mommsenus annotat: »cum duplici vocali cum huius aetatis titulus non admittat, extrema lineola casu adiecta videtur esse.« Morem Accii vetustum videtur imitari auctor tituli VI, 723 (p. C. 184), ubi praeter SANCTISSIMIIS reperitur AILIANO. Ad errores fabriles ex parte referenda sunt SACRII VI, 1727 SORORII VIII, 877 VIXIIT VIII, 3651 SECVNDII VIII, 8643 FECIIT VIII, 9910 VIIXIT VIII, 9910 al. Acriter autem secernenda est ab hac illa II scriptura, qua in titulis priscis, maxime in inscriptionibus parietariis Pompeianis, e vocalis expressa est; cfr. VI, 15201 ALIIXANDIIR COLIBIIRTVS; praeterea VI, 19813. 21878. 21900 al.

Eodem loco, quo Corssenus de nominibus in -ius, -ium desinentibus pauca verba facit, etiam PÍO PÍENTISSIMO DÍEBVS

---

[1]) Velut sermone Graeco *μελαινα* ex *μελανjα* factum est.

consilio ac ratione scripta esse negat. Sed in his verbis I longa tam saepe inest ut casu vel neglegentia eam insculptam esse existimare nequeamus; cfr. DIES VI, 6435. 6686. 7527. 7579. 10669. 12642 DIAE (= die) VI, 7652. DIe VI, 2028 (p. C. 38) VI, 5566. 10233. 10239. 16286. 18089. VIII, 1548 DIEBVS VI, 5643. 12509. 13537. 15250. 16836. 17682. DIEM X, 3704. DIERVM XII, 1944.— PIVS VI, 1058, 2, 98. 11076. IX, 5980 (p.C. 201) X, 5909 (p.C. 207). 6908 (p.C. 201) PIO X, 1777. 3834 (p.C. 196). 6079 (p.C. 197) VI, 1080 PIENTISSIMAE II, ad 2482. IX, 2620. VI, 5074. 8737. 11769 PIENTISSIMO VI, 4553. 12559. 12721. 13799. 13537. PIETAS VI, 5261. 5092. 21017. Omitto i vocalis sequentis causa PII VIII, 10259. 10253. VI, 2093 (p. C. 169/177) PIIS V, 4609 alia, de quibus infra. Vocabulo DIANAES (C. I, 1242) addit Ritschelius signum interrogationis, quoniam non liquet, utrum i sit longa an solita; I longam tamen plane exhibet DIANAE VI, 134 XII, 4333 XIV, 2112. 3536. Certe igitur in sermone vulgari vocalem i longam fuisse rectissime Seelmannus contendit. In DIANA apud optimos poetas i vocalis saepe est longa, velut apud Catull. 34, 1. 3. Horat c. 1, 21, 1. 2, 12, 20. 4, 7, 25 al. Groeberus (Archiv f. l. L. II, 101. III, 235) i vocalem longam verborum DIES et PIVS comprobat e linguis Romanicis. Idem demonstrant peihaner Umbrorum et peihioi Oscorum atque Havetius legit (Cic. rep. 1, 64) initio hexametri Enniani: pectora pīa. A Mario Victorino (K. g. l. VI, 24) DĬES pronuntiatum esse vocali brevi ad optima tempora latinitatis nil refert. Dubito tamen an saepe his in verbis I longa semivocali audita explicanda sit, ut hiatus evitaretur. Scriptura PIIO, quae praeter FILIO in tit. VI, 16123 invenitur, et PIIA, quod in tit. VI, 20502 praeter DIS scriptum est, hanc sententiam adiuvant non minus quam PEIE (PIA, sermone graecissante; cfr. AVEIENIVS = Avienius VI, 12897) X, 7064 et IMBEIA (= impia, serm. graeciss.) X, 719. Eodem modo explicaverim I longam in QVIETO VI, 15773. 17936 XII, 796 et QVIESCIT VI, 14994.

Quoniam et I longae et duae i litterae simplices semivocalem j significare poterant, paulo post scripturae mixtae et factae sunt II et II. Exempla affero haec: CVIIVS, EIIVS (bis) II, 1964 (tab. Malac.) II, 1953 (p. C. 53/54) EIIVS V, 4877.

PLEBEIIO II, 1120. MAIIORIS VI, 9921. BAIIANAE VI, 14214. POMPEIIAE VI, 18298. POMPEIIAE II, 1960. POMPEIIVS IX, 3748. COIIVGI V, 2050 al. Semel etiam ineunte voce II scriptura extat: IIVSTVS VII, 913 (cfr. VII, 1178 IIVLIVS), ubi fieri potest, ut signum quoddam quadratarii specici causa initio additum sit.

Haud multo rarius scripturae II et II ad i vocalem longam significandam adhibitae sunt. Sicut ex iis quae modo protulimus conicere licet, sculptor saepe uni i alteram videtur adiunxisse nulla causa idonea; cfr. DII VI, 18296 (monosyllabum in hexametro) Terminationes -i et -is fere solae hanc scripturam ostendere solent, velut ANNIIS VI, 4594. LIBERTIIS V, 7623. TABVLIIS VI, 3970. HIIS VI, 25851. CONIVGII VI, 5439. VI, 26724. X, 582. SVAVII V, 5923. MERENTII VI, 16927. COHEREDII VI, 23977 al. VI, 9005. VI, 6381. V, 4682. VI, 1892. IX, 1783. VI, 5019. IX, 3657. VI, 9138. X, 2039. III, 5065. VI, 230; praeterea FIILIAE VI, 11590. IIISDI IX, 4772; IX, 3718. X, 7295. In tit. VI, 11464 praeter AMICIIS reperitur AMICI. Maxime dignus est commemoratione titulus VI, 19878, qui DIIS, SVIIS, POSTERI — ISQVE exhibet. Ut hoc loco, ita saepius invenimus SVIIS (VI, 6482. 9138. 13498 (bis). 14435. 20622. II, 3477. IX, 2303. SVIIS V, 402. De qua voce Weissbrodtius (Ind. lect. Braunsberg. sem. hib. 1883/84 p. 22) scribit: »Es scheint mir nicht unmöglich, dass eine vulgäre Aussprache sujis angedeutet sei, und ebenso wäre dann SVIEIS aufzufassen, welches ausser den von Garrucci citirten drei Inschriften aus Rom, Aquileja und Benevent auch eine aus Civita Ducale (IX, 4666) hat;[1]) ebenfalls j wäre zu lesen in ingenujis (I, 1492: INGENVIIS).« Addas velim IPSIIVS VI, 2041 (p. C. 58/59) Fieri potest, ut hic in hiatu semivocalis pronuntiata sit, sive j erat, sive v: SVVIS VI, 16185; IX, 2825 SOVA X, 5389 SVVIS VI, 22179, cfr. SVIS VI, 23169. Consonanti autem in SVIEIS pronuntiandae repugnat TETTIEIDIVS (= Tettidius) IX, 4509. In tit. VI, 13498 legitur praeter SVIIS etiam FILIIS quod semivocali favet. Scripturam autem PIISSIMIIS (VI, 6632)

[1]) Cfr. V, 1308. VI, 15700.

non explicabimus nisi ita ut sculptorem orthographiam omnino neglexisse dicamus. Quo magis I longae potestas vera vacillare coepit, eo facilius scribendi rationes confusae sunt. Quanta libido licentiaque sculptorum fuerit, ex ipsius vocabuli »piissimus« (haec est in titulis forma superlativi solita) scripturis diversissimis optime cognoscas: PIISSIMVS, PIISSIMVS, PIISSIMVS, PIISSIMVS (VI, 12819. VIII, 236) PÍSSIMVS (III, 2346 VI, 11206. IX, 2250. 3450. X, 1332. XII, 2012. PISSIMVS (VI, 6442. 16969).

Vocali i semivocalem sequente id ipsum fieri posse dicunt grammatici, ut tria i scribantur; conferas velim Velii Longi (Keil. VII, 54, 16) verba haecce: . . . »inde crescit ista geminatio et incipit per tria i scribi COIIICIT, ut prima syllaba sit COI, sequentes duae IICIT.« Tale quidem exemplum in titulis non invenimus. Quid sibi velit, quod Seelmannus (p. 236) in MAIIOREM, POMPEIIVS scripturis II et II tribus litteris III a Velio Longo commemoratis respondere dicit, prorsus non intellego. Num Seelmannus in POMPEIIVS tria i scribi posse existimat? At in his verbis semivocalem i vocalis non sequitur. Immo vero II et II illas duas i litteras aequant ita ut I longiuscula semivocalem j exprimat illis in vocabulis pronuntiatam.

Saepe I longa adhibebatur, cum re vera duae i vocales scribendae erant. Primum exemplum videtur VIS (= viis, ante Chr. 92?) VI, 1283 et BENEFICIS ibid. (praeter STERNVNDIS etc.) Weissbrodtius I longam tum geminationis signum fuisse putat. [1]) Affert exempla haec: C. I. L. VI, 9006 DIS FILIS (praeter SVIS, LIBERTIS, POSTERIS, LIB(ertus), LIBERTABVS, ATIMETVS), VIII, 7969 VARI (praeter COMMODI, PII, CELERINVS, PROMISIT), VIII, 8795 PI (praeter SEVERI ALEXANDRI al.), III, 5323 PI (praeter FIL., SEVERI). X, 2935 IS (praeter SIBI, QVI, INSCRIPTI), X, 1579 IS (praeter QVI, TABERNIS), X, 13564 FILIS (praeter MARITVS, FELICI al.) X, 2782 FILIS

[1]) Dicit enim in Philologi volum. 43 (1884, p. 445): Es sprechen Gründe dafür, dass thatsächlich in manchen Fällen die I longa als Surrogat der Gemination anzusehen sei, d. h. dass Schreiber und Steinmetzen sich einer I longa bedient haben, wenn sie zwei vokalische i, deren zweites allerdings naturlang war, ausdrücken wollten; Bildungen mit zwei auf einander folgenden kurzen i giebt es im Lateinischen bekanntlich nicht.«

(praeter CONIVGI, LIBERTIS), VIII, 3354 AEMILI (praeter BALBI al.) VI, 8101 DIS, IS (praeter QVI LIBERTIS POSTERISQVE). In pentametro tituli C. VI, 12307 praeter DIRAE DONIS TVIS al. plerosque librarios secutus Henzenus describit: VT CINERES PATRIOS DEDERET INFERIS; unus, sicut legit, scripsit INFERIIS. Fortasse homo indoctus et rei metricae ignarus, cui titulus conficiendus erat, de inferis cogitans verbum falsum insculpsit. Praeterea haec in medium profero. STVD+S VIII, 8870 geminationem ipsam ligando indicat. Monumentum Ancyranum praebet AVSPICIS 4, PROVINCIS 16, STIPENDIS 16, ADIT (= adiit) 26. In tit. 10 cod. inscr. Rom. Danub. et Rhen. legitur TRIVIS, at BIVIIS; C. I. L. VI, 10419: SOCIS (praeter SVIS, SERTORI), VI, 2030 (p. C. 40): MAGISTERI, IVNIS (praeter MAGISTERII), VI, 2209: PROPITIS (praeter DIIS), VI, 18053: FILI (praeter FLAVII), VI, 20237: IVLI (praeter DELICII), VI, 20691: IVLI (praeter FILII), VI, 20252: POLYBI (praeter IVLII), V, 4091: STIPENDIS (praeter IIS) VI, 2075: FILIS (p. C. 105), VI, 2080: FILI (nom. plur. p. C. 120), VI, 25888: FILIS, VI, 20141 (p. C. 41) MAIS, V, 532: BENEFICI (p. C. 138/161), V, 5050: MARTIS (p. C. 46), IX, 1456: CLAVDI (p. C. 11), X, 6104: FORMIS, VARIS (Aug. temp.), VI, 11745: RELIQVIS, PISSIMO (cfr. supra). Plura exempla proferre non proficit, persaepe inveniuntur. Quae collata cum eis quae supra de I longae origine dixi demonstrare videntur lapicidas saepius I longam adhibuisse duas i vocales scripturos. Attamen fieri potest, ut omnia exempla, quae modo attuli, indicent non vocalis per I longam geminationem, sed quantitatem solam vocalis contractae. Etiam in sermone urbano DII et DIIS et IIDEM contrahuntur. Lapicidas geminationis inscios fuisse I longam scribentes elucet ex his quoque exemplis: FILIS una cum FILIS VI, 18986, AEDIFICIS una cum LIBERTIS VI, 20061, IVLI (et IVLII) VI, 20140, TETTIENI (et TETTIENII) VI, 18850 (p. C. fere 70). Saepissime etiam i vocalis simplex pro duabus reperiatur, velut CONTROVERSIS, DIS, IS, PROELIS al. (cfr. voluminis I indicem), FILIS II, 2537, BENEFICIS II, 1640, IS II, 5042 (cf. ind. vol. II), IVDICIS IV, 670 (at IVDICIS IV, 528, IVDICIIS IV, 1074), POMPEIS IV, 1180 (POMPEIS IV, 1179), DECVRIS V, 7037, SOCIS VI, 10332, PISSI-

MVS (cfr. supra), FILIS VII, 1002.266 COLLEGI VII, 1035 PRAESIDI VII, 644 al. (cfr. ind. volum. VII), FILIS IX, 3203. Promiscue igitur et I longa et i simplex pro duabus i vocalibus syllabis contractis in usu fuerunt.

Hae sunt gravissimae I longae rationes scribendi. In inscriptionibus parietariis Pompeianis, quae cursivam quae dicitur scripturam potissimum ostendunt, saepe i longior vocali ex usu saeculi post Christum primi natura brevi invenitur ita significata J. Minime illa quidem scriptura vocalem longam exprimebat. Immo vero Zangemeisterus illis exemplis in indice voluminis IV enumeratis addit verba haec: »Patet maxime in eis, quae cursivis litteris exaratae sunt, inscriptionibus i saepe productam esse non alia de causa nisi ut eius litterae forma magis plana et perspicua redderetur.« Saepissime hoc certe est semivocalis signum. Semel quadratarius vocalem longam et semivocalem scripturis diversis distinxisse videtur i. e. IV, 805 (Post)VMJVM et SIRICE.

Sed tamen I longae usus latius patet. Non solum vocalis quantitatem vel qualitatem significabat, sed etiam signum erat lapicidis aptissimum ad titulum exornandum et decorandum. Documento est Monumentum Ancyranum, ubi initio versuum saepe littera quaecunque ultra lineam producta est. Idem ostendunt Acta fratrum Arvalium (VI, 2028 ter, 2041, 2051); VI, 8930; IX, 1455 al. IN ineunte versu iam legitur in fast. Capitot. (I, a. 498, ante Chr. 36/30). Persaepe fit, ut initium vel finis versuum littera maiuscula indicetur; velut ornandi causa I longa posita est in INCOMPARABILI, quod vocabulum solum versum explet II, 4310 (cfr. III, 3174 a) Idem videmus in versu tituli VI, 16510: ITEM · COSSONIO · PRIMI. Permulti tituli incipiunt ab I longa, sicut nobis scripturis litterae magnae initiales usui sunt; saepissime invenies IN MEMORIAM (II, 8 al.) IN HONOREM (II, 46 II, 1640 (p. C. 103/117) IMPENSIS initio versus II, 1677. Mon. Anc. app. 4. Etiam in medio versu, ut novum enuntiatum indicaretur, studio et amore I longam usurpaverunt, non aliter atque nos post interpunctionem maiorem litteris magnis utimur. In fine quidem versus, sed in medio vocabulo falso positae sunt I longae: C. X, 2197 OPTI-MAE et X, 7272 (p. C. 195) PARTHI-CI et XII, 879 CONDI-DIT. Non explicari possunt nisi ex

quadratarii consilio finis versuum indicandi. Neque aliter CARISS-IMAE VI, 15929, AN-IMO VI, 21104.

Restat autem alia I longae explicandae ratio, cuius iam Ritschelius (Opusc. IV, p. 570) mentionem fecit. Sescenties enim initio titulorum in aetatem Caesaream cadentium IMP (= imperator, imperatori, imperatore) legitur vel IMPP, sicut IMP. VI, 457 (a. C. 9), VI, 701 (a. C. 10), X, 3827 (p. C. 2/3), I, fast. Cap. anni urb. 766 (p. C. 13), VI, 2051 (in medio versu) (p. C. 69), III, 6993 (p. C. 78), II, 862 (p. C. 82), VI, 2065 (p. C. 87) (in medio versu), III, 38 (p. C. 104) III, 24 (p. C. 108/9), V, 4091 (p. C. 129), X, 1641 (p. C. 139), X, 6077 (p. C. 148), VI, 1010 (p. C. 151), VIII, 4589 (p. C. 162), III, 1979 (p. C. 170), VIII, 8375 (p. C. 196), X, 1650 (p. C. 196), X, 3834 (p. C. 196) XIV, 113 (p. C. 196), XIV, 121 (p. C. 196) VIII, 4216 (p. C. 201/10), VI, 1030 (p. C. 203), VIII, 9035 (p. C. 205), V, 4055 (p. C. 208), VI, 1058 (p. C. 210), VI, 1065 (p. C. 213), X, 6422 (p. C. 213), VI, 2001 (p. C. 213), VIII, 7973 (p. C. 215), VIII, 966 (p. C. 215), II, 2663 (p. C. 216), VI, 2104 (p. C. 218), VI, 1101 (p. C. 251), VIII, 1487 (p. C. 261), VII, 1156 (p. C. 276), XII, 1839 (p. C. 101), XII, 1851 (p. C. 214/17), XII, 5559 (p. C. 23) et IMPP. VIII, 2527 (p. C. 198), VI, 862 (p. C. 202), III, 75 (p. C. c. 203), III, 5943 (p. C. 204). Etsi huius vocabuli I longa facile ita potest explicari, ut modo exposuimus, tamen ex eo quod interdum in medio versu IMP. scribitur, illam causam solam non sufficere videmus. Itaque id quod Ritschelius (Opusc. IV, p. 570) dicit, comprobo. »Quam (scil. causam)«, inquit, »prorsus cum Schmitzio consentio non esse aliunde repetendam nisi e reverentiae sensu quodam quae ipsius imperatoris personae atque maiestati deberi videretur.« Neque aliter epitheton ornans INVICTO, quod viris illustribus additur, saepius I littera maiore scriptum videtur (VIII, 2387, X, 1478, VI, 724 (p. C. 194), VI, 738 (p. C. 194), VI, 746, 1097 (p. C. 244), II, 1672 (p. C. 270). Haud scio an huc quoque pertineat INCOMPARABILI VI. 2126. 13017. 14569. 17910. 25391. 25622. VIII, 9481. X, 420. 1955. XIV, 332. Si ex his exemplis iudicare licet, hunc usum saeculo secundo et tertio magis magisque crevisse videmus.

Mirum in modum, ne hoc quidem omittam, saepissime TI

abbreviatum praenomen imperatoris Tiberii in titulis I longam habet, quamquam sine dubio prima syllaba corripitur. (II, 1516, VI, 1058 (p. C. 210) 2071. 4362. 6692. 6768. 8726. 8843. 10347. 11824. 13628. 14927. 14951. 14956. 15027. 15055. 15066. 15124. 15241. 15247. 15425. 17296. 20167. VII, 44. IX, 1456 (p. C. 11), 3579. X, 2552. 2946. 6561. XII, 5842. XIV, 816). Quocum consensit mensura Τῑβε̆ρῐος (VIII, 10498), quae versus hexametri necessitate postulatur. Quoniam igitur in TI de scalpri lapsu nequit cogitari, sive quod nomini clarissimo maior gravitas datur, vocalis productior forma adhibita est, sive quod, sicut nos post abbreviata verba interpungere solemus, lapicida abbreviaturam littera maiuscula significare voluit

Iam ex his, quae hucusque protulimus, satis apparet in quot quantasque difficultates incurrant qui I longae vim atque indolem exploraturi sunt. Latinos inferioris aetatis vix iam illius litterae potestatem veram producendi novisse ex eo elucet quod posthac saepe supra I longam apex positus est (cfr. huius dissertationis pag. 16). In carminibus I longa saepius falso adhibita est pro vocali brevi, velut VI, 6502 DESINITE (— ⏑⏑) et VI, 511 (p. C. 377) REGIA (— ⏑⏑) et LONGIOR (— ⏑⏑) VI, 25427. Idem dici potest de hexametri clausulis MVTASTI MALIGNE (— — ⏑⏑ — —) VI, 10971 (propterea eiusdem quoque scripturis DITIS et GENVIT et nominis Aeliae penultimae longae vim ullam non tribuemus) et FATA INIQVA (— ⏑⏑ — ⏑ aut — — — ⏑?) VI, 23629. Deinde NOCIT (= nocet) pro pyrrhichio legendum est VI, 19747 (in eodem titulo NI = nē) Denique quid statuamus de inscriptionis VI, 11877 MENSIBVS KARISSIMAE, quid de permultis aliis quae omnia afferre longum est? Profecto si omnibus talibus I longis fidem adiungeremus, vix ulla syllaba inveniri posset, quae non esset longa. Nam in haec quidem valet illud Archilochi:

χρημάτων δ' ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον
οὐδὲ θαυμάσιον.

Saepissime, ut cum Milphione loquar, »Oedipo opus coniectore est, qui sphingi interpres fuit;« fabrorum enim neglegentia vel inscitia titulos mendis gravissimis aspersit. Itaque quaerentibus, utrum vocalis sit longa an brevis, I longa cautissime in medium proferenda est atque meritissimo dicit p. 238 Seelmannus:

»Selbstverständlich kann bei diesem Stande der Dinge die i longa in irgend wie unzuverlässigen Inschriften nur in Verbindung und zur Stütze a n d e r e r Argumente mit zur Bestimmung der Quantität aufgeführt werden.«

In numeris I longam saepe usurpatam esse ita ut primum vel ultimum locum sui ordinis obtineret, iam Weissbrodtius animadvertit, cfr. IIIIII viri (= seviri) (II, 3030. 4511. 4550), III. IIII (VI, 11222), XIII. III. XXIII (VI, 11303/4), XVII. IIII (VI, 12281), IIII (VI, 15514), XVIII (VI, 17384), II. XVIII (VI, 17595), IIII (VI, 20079), IIII (VI, 2041), XXXIII. VIII. XIII (VI, 10816. 19201), IIII (VI, 2034), XIIII (VI, 10233), XII. III (VI, 10239), XXIII (VI, 10574), LXIIII (VI, 14631), XVII (VI, 15854), XXIII. VII (VI, 24592) XVIIII (ter VI, 17436); aliter VIII (VI, 11508) XIX (VI, 18350).

Hisce rebus expositis opus est pauca verba facere de vocalibus E et V supra lineam productis. S c h m i t z i u s enim (p. 29) in MENCEC (Fabr. p. 391 n. 255), ΦEKIT (ibid. n. 253), DEVM (gen. plur., Grut. p. 29, 2) figura vocalis productiore quantitatem significatam esse censet. Nescio an vir doctissimus audacius quam verius iudicaverit. Etsi fortasse alia quaedam exempla addi possunt (in STRVCTOR X, 708 V vocalis longae signum esse Seelmannus quoque (p. 101) opinari videtur; praeterea VXORI X, 2409), tamen e tam paucis aliquid certi concludere dubito. Inter eas litteras longiores quae vel in optimis titulis in usum venerunt, etiam E et V et Y graecum erant (cfr. LVCERNIO III, 3987; CONIVGI VIII, 3664 (hic etiam F et T producuntur) ITERVM IX, 3044. DIVTVRNVM GRATVLETVR VI, 1759. EVTHYCVS VI, 15158, MYRSINE VI, 15511. HYMNIDI VI, 20525. MYSTI(CO) VI, 24483. HYPNVS VI, 25461. CHRYSARIONIS VI, 26141. CHRYSOPHANIA XII, 908. CHRYSOGONE XII, 782 (bis) NYMPHIS XII, 2847. 2848. Litterae ornamenti causa supra lineam productae iam ante Christum natum reperiuntur, velut XII, 145 (a. Chr. 12—6), ubi eam ob rem TRIBVN(icia) nullam habet auctoritatem, II, 3827 (a.C. 9/8) et XII, 147 (p.C. 23). Itaque ad has vocales pertinet quod R i t s c h e l i u s (p. 379 l. c.) monuit: »Eine andere Warnung lässt sich hinzufügen in Betreff der i longa. Es ist die, bei der Jagd auf dieses

Zeichen irgend einen Gebrauch zu machen von solchen Inschriften späterer Zeit, in denen aus rein willkürlicher Liebhaberei neben dem I auch andere Buchstaben in sehr entschieden grösseren Dimensionen erscheinen. So namentlich T F L . . . auch P C S (ganz abgesehen natürlich von neuen Satz- oder Abschnitt-anfängen).« Neque igitur crediderim E et V litteras longiusculas quantitatis exprimendae causa esse scriptas.

III. De fructibus ex apicibus et i longis captis.

Sicut initio commentarioli mei iam dixi, ubi in syllabis positione longis ars metrica nos impedit ne vocalium naturam veram cognoscamus, signa graphica, de quibus agimus, maximi sunt momenti. Restat igitur, ut disseramus, quatenus apices et I longae nos certiores faciant de vocalibus duabus consonantibus antecedentibus. Ac primum loquamur de iis rebus gravibus, quarum grammatici Latini mentionem fecerunt.

1. NS et NF. [1])

Nemini est ignotum praeclarum illud Ciceronis de con et in syllabarum praefixarum ante f et s pronuntiatione testimonium. Dicit enim in Orat. 48 § 159: »Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? »indoctus« dicimus brevi prima littera, »insanus« producta, »inhumanus« brevi, »infelix« longa; et ne multis: quibus in verbis eae primae litterae sunt, quae in »sapiente« atque »felice«, producte dicitur »in«, in ceteris omnibus breviter, itemque »cōnposuit cōnsuevit cōncrepuit cōnfecit.« Neque tamen modo hoc testimonium a grammaticis Latinis saepe repetitum dici posse de compositis praepositionum illarum, sed in universum ns et nf consonantes vocalem antecedentem produxisse primum a Schmitzio demonstratum est atque nunc est opinio communis, quae confirmatur grammaticorum testimoniis atque permultis inscriptionum verbis apicatis, graece transscriptis, I longa exornatis. Grammaticorum testimonia gravissima in medium profero. Participiorum enim terminationes ans et ens natura longas esse Probus (Keil. G. L. IV, 245, 8—15; IV, 247, 9;

[1]) Corssen I, p. 257—259. Schmitz, Beiträge p. 3 sqq. 25, 27, 30, 32, Buenger. Progr. Argentor. 1880, p. 5. Marx, Hülfsbüchlein p. 1. Seelmann p. 77. 89.

IV, 6, 8—13) refert idemque Pompeius (Keil. G. L. V, 113, 23 sqq.) his verbis: »omne participium longam habet syllabam, ut docēns scribēns: hoc ipsum e naturaliter longum est, deinde sequitur n et s, crescit tempus . .« Atque Beda (K. VII, 230, 15 sqq.): »sunt item syllabae«, inquit, »quae utroque modo et natura videlicet et positione longae sunt, ut dēns gēns mēns mōns frōns.« Secundum Priscianum (IX, 27) in perfecto »mansi« a vocalem positione longam esse et »insons« brevem o vocalem habere haud ignoro (K. II, 319 cfr. Prob. K. IV, 28). Neque tamen si Prisciani tempora respiciemus, his vim magnam tribuemus; utique ad tempus Ciceronianum vel Quintilianeum Prisciani testimonia non pertinent. Gellius autem (IX, 6) affert »pēnsus pēnsito.«

Exempla Corporis Inscr. Lat. apicibus et I longis insignita, quae ante ns consonantes copulatas vocalem esse longam demonstrant, sunt haec: [1])

CLÉMÉNS II, 4550
PVDÉNS V, 99.
PRÓCÉDÉNS VI, 1527 d. 28. (a. C. 8—2).
ÓRIENS X, 712 (hic enim alter apex ad E pertinet).
VALÉNS III, 4809.
PARÉNS X, 4041, 4.
DECÉNS VI, 6976.
(d)OLÉNS VI, 1527 e 31. (a. C. 8—2).
PARÉNS VI, 18579.
TARRICINÉNSIBVS X, 6328.
MÉNSVRÍS XI, 3558.
DÉFICIÉNS X, 3903, 10.
DIFFĪDÉNS VI, 1527 d 31 (a. C. 8—2).
OPSEQVÉNS IX, 3942.
CORFĪNIÉNSI IX, 3176.
TRAIÉNSIS IX, 5646.
INPÉNSĪS XI, 3805.
NÁRBONÉNSIS XII, 3163.
NARBONÉNSIS XII, 3184.
(NARBÓNÉSÉS, NARBÓNÉSIVM XII, 4393; p. C. 149).
BARCINONÉNSIVM II, 4550.
MÉNSIB(us) VI, 15431.
MÉNS(ibus) X, 2532, VI, 20541.
ACCÉNSVS VI, 1887 (p. C. 90) X, 1889.
SÉNSV VI, 9797 (p. C. 126).
ANIÉNS(i) II, 4238.
IMPÉNSÁ X, 1839.
IMPÉNSA V, 558.
CÉNSIBVS VI, 8938.
CONSÉNSVM Mon. Anc. 34.
MÉNSOR V. 6786.
PÉNSASSEM VI, 12652.
TRICÉNSIMVM VI, 22150.
CÉNSVM Mon. Anc. 8.

[1]) Quorum partem congessit Seelmannus p. 89.

MÉNSVM INTELLEGÉNS XI, 1118.
ALBINNÉNSIBVs XII, 2493. 2494 (saec. I ineunt.)
ELVSÉNSI XII,3361 (saec. II).
IVLIÉNSIVM XII, 1357 bis; XII, 3275 add. (saec. II)
TARRACÓNÉNS(is) XII, 3167 (p. C f. 90)
CÉNSVÉRVNT XII, 4393 (p. C. 149).
(praete)RIÉNS XII, 5811.
ACCÉNSÓ III, 7134.
COMPRÉNSÁ XIV, 396.
IA CÉNS VI, 25531.
APTÉNSÉS XII,3275 (saec. II).
HORTÉNSIAE XII,3615. 3616
NEMAVSÉNSES XII,3235.3236
VIENNÉNSÉS XII, 1853.
CRÉSCÉNS XII, 4030.
RÉNSI III, 7134.
AVENNIÉNS(ium) XII, 3275 add. (saec. II).
HORTÉNSIS XII, 739.
(Va)SIÉNS(ium) XII, 1375.

CÉNSOR XII, 3102
MÉNS(es) XII, 3409 add.
ACCÉNSVS XIV, 3644.
PARCÉNS VI, 25531.
MÉNS(ibus) VI, 26268.

———

CÓNSCRÍPTÍS X, 3903, 9.
CÓNSILIVM VI, 10230 (Aug. temp.)
CÓNSTÓ VI, 1527 d. 64. (ante Chr. 8—2.
CÓNSECRAT(am) ibid. c 57. ante Chr. 8—2.
CÓNSACR(o) VI, 15696.
CÓNSVMPTAST VI, 20466. [1]
CÓNSERVANDAE XII, 4393 (p. C. 149).

———

OVÁNS Mon. Anc. 4.
PVGNÁNS VI, 1377 (c. p. C. 170).
PALLÁNS VI, 9424 (p. C. 56).
TRÁ(ns?) VI, 1527 (a. C. 8—2).
RECVBÁNS VI, 25531.
TRÁNSDÚXIT XIV, 3608.

Longe saepissime apex reperitur in nomine consulis; exempla quae expiscatus sum e Corpore, sunt haec: CÓNSVLES VI, 894 (Aug. aetate), CÓNSVLE VI, 9797 (p. C. 126), CÓNSVLI X, 1889. XII, 3171 (saec. II). PRÓCÓNSVL X, 1699; deinde CÓS. II, 2633. 2642. V, 26 (p. C. 73). 4347. 4359. VI, 85 (p. C. 198). 862 (p. C. 202). VI, 1030 (p. C. 201). 1057. 1058 (p. C. 210). 1088 (p. C. 239). 1101 (p. C. 251). 1406. 3884 (p. C. 197/8). 2059 (p. C. 80/81). 2060 (p. C. 81). 10300. X, 6077 (p. C. 148). 7127. 3344 (p. C 159). XII,1853

[1]) Praeterea CÓNSILIÍS in papyris Herculanensibus (l. l.) reperimus.

PROCÓS VI, 1030 (p. C. 201). 1088 (p. C. 239) 1550. X,7127. XII, 3164 add. Haud scio an apex vocis CÓS ex abbreviando explicari possit, (cfr. supr, p. 24) demonstrat tamen etiam transscriptio graeca κωνσουλ (apud Plutarchum, Dion. Halic. al.) o vocalem esse productam. Persaepe autem, sicut in COS, in aliis vocabulis n consonans omissa est, quod ipsum vocalem longam fuisse docet. De vocabulis Latinis Graece translatis quae enumerare supersedeo, conferas velim Schmitzii aliorum quaestiones.

Mirandum est, quod de nf consonantibus illud Ciceronis testimonium semel tantum apicibus (CÓNFICIVNT XI,1118) confirmari potest, quamquam id quod Buengerus (l. c. p. 7) dicit — »Als thatsächliche Belege für die Verlängerung des Vokals vor nf kann allerdings, sonderbarer Weise, wenigstens bis jetzt, ausser den von Cicero angeführten īnfelix und cōnfecit auch nicht ein einziges Beispiel weder aus Inscriften noch aus griechischen Transscriptionen gebracht werden, trotzdem Formen wie infra, inferi . . . nicht selten vorkommen.« — prorsus falsum est. Reperitur enim I longa in INFERI VI, 7579. INFERIS XII, 659 (saec. fere III). INFEROS VI, 5254. INFERIORIS II, 4510. 4515. (in med. vers.) INFIXVMQ. VI,5302. INFELICISSIMVS VI,1632. XII, 728. INFELICISSIMA V, 7171. X, 4299. 5690. INFERRI X, 4294. INFELICIS VI,11830. INFELICISSIMAE VI,20889. INFANTI XIV, 1738. INFANTIS XII, 2467. INFERENDI VI, 2104, 221 b. INFRA VI, 10239. Ante ns vocalem I longam videmus in INSPEXI III, 67 (p. C. 168). INSVPER VIII, 3334. INSIGNEM VI, 1067, (p. C. 214). INSIGNIBVS VI, 1033 (p. C. 203). INSITA X, 3704. INSTRVXERVNT VI, 647. INSVLARVM XI,1331 (p. C. 65). (ÍNSTEIA X,6100) [1]) His exemplis addi possunt talia exempla, ubi duo vocabula in pronuntiando quasi in unum contracta sunt: IN SALIARE CARMEN (in medio versu) Mon. Anc. 10, INSVOS (uno verbo) II, 1503, IN SVPER X, 1781 (ante Chr. 105), IN SPECTACVLIS X, 3704; IN FORO VI, 1566. Saepius legitur IN FR(onte) IN AGR. VI, 5529. 6679. 6997. 7005. 7646. 9607. 11910. 18361. XI, 892. 982; at IN FR. IN AG. VI, 23196. Neque

[1]) In papyr. Herculan. (l. l.): INSTANTÍS (fragm. E).

tamen scripturae IN FINES (Mon. Anc. 26) ulla auctoritas tribuenda est propterea quod Ī longa initio versus extat aeque atque IN TEMPLIS (ibid. 24), IN CONSVLATV (ibid. 34).

Posthac in linguis Romanicis ante ns et nf vocalis saepe correpta esse videtur, velut cŏnficere, cŏnfessum, cŏnfrater, īnfans (francogall. enfant, ital. infante), īnfernus (francog. enfer, ital. inferno), īnfimus, īnfirmus, cŏnsacro, cŏnscientia, cŏnsilium, īnsignia recludenda sunt (Cfr. Groeber, Vulgärlat. Substrate l. l. et Marx Hülfsbüchlein).

2. NC, NG, NQU, NX. [1])

Ut Gellius in Noct. Att. (IX, 6) pēnsus attulit, sic eodem loco ūnctus. Verba Gellii sunt haec: »Num ergo potius actito et actitavi producenda sunt? Quoniam frequentativa ferme omnia eodem modo in prima syllaba dicuntur, quo participia praeteriti temporis ex his verbis, unde ea profecta sunt, in eadem syllaba pronuntiantur, sicuti lego lēctus facit lēctito; ungo ūnctus ūnctito; scribo scrīptus scrīptito; moveo mōtus mōtito; pendeo pēnsus pēnsito . . . . . Sic igitur actito producte in prima syllaba pronuntiandum, quoniam ex eo fit quod est ago et āctus.« Unctus igitur habuisse vocalem productam non est quod non credamus. Etiam in aliis vocabulis vocalem ante nc (et nx) consonantes longam fuisse exempla haec apicata demonstrant: IV́NCTA X, 1888. SEIV́NCTVM VI, 1527 e 38 (a. Chr. 8—2); ibid. e 9 CONIVNĆTO (hoc enim exemplum huc referendum esse, etsi apex neglegenter insculptus est, ecquis negabit?) DEFV́NCTIS V, 1326. FV́NCTO XII, 3176. 3236. 3275 add. DÉFV́NCTĪS VI, 25531. Eiusdem rationis CONIV́NX VI, 6592. 6593. CONIV́NX X, 1933. CONIV́NXIT XII, 4333 (Antoninorum aetate).

Haec exempla praecepto Lachmanniano [2]) e Gellio eruto respondent. CVNCTVS propter contractionem u longam habet; rectissime igitur CV́NCTÁRVM VI, 22251, CV́NCTI IX, 60 (p.

[1]) Cfr. Buenger p. 19; Marx p. 5 sq.; Seelmann p. 78; Wiggert p. 17 (Progr. Starg. i/P. 1880).

[2]) »Ubi in praesenti media est, participia producuntur.« (Ad Lucret, p. 54 sq.)

C. f. 100). Sed quid iudicemus de SÁNCTA V, 2681, SÁNCTVS VI, 14978. SÁNCTISSIM(ae) X, 1933? Quae vocabula male scripta esse non est quod ponamus. Hoc igitur in vocabulo regula Lachmanni non valebit, nisi ad radicem sag (graece ἀγ: ἅγιος, ἁγνός) confugiemus. Eandem vocalem longam demonstrat Oscorum saahtom.

Littera n in his verbis scripta, quam Nigidius Figulus adulterinam appellavit, saepius deest: defuctus II, 4173 coniux V, 2215, 4658, 5388 sactissimae VI, 15511. V, 6580. Linguae Romanicae in exemplis huiuscemodi aliae vocalem brevem ostendunt, aliae longam conservarunt: ŭnctum pŭnctum recluditur ex ig pig sermonis qui vocatur »oberlaendisch« (cf. Seelmann p. 90), iŭnctum ex junto Hispanorum, fŭnctum ex funzione Italianorum et funcion Hispanorum, sed ūnctum iūnctum pūnctum ex oint ioint point Francogallorum. I longa ante nc rectissime reperitur in EXTĪNCTOS VI, 25617 (p. C. 10) et CĪNCTVS X, 4104; hic enim etiam sermo Italianus eandem quantitatem demonstrat, qui cinsi cinto ex cīnxi cīnctum, finsi ex fīnxi ortum esse docet, quamquam cingo et pingo secundum linguas Romanicas i vocalem brevem habuerunt. Consonantibus nc solis vim vocalis anterioris producendae inesse Buengerus p. 19 negat, ut opinor, iniuria: »eine Länge«, inquit, »vor nc und ng ist nirgends überliefert.« Quamquam superfluum est dicere non semper vocalem ante nc consonantes productam esse — etenim Cicero ipse l. c. affert cŏncrepuit et Strabo 5, 214 κονκορδια — tamen non solum ante nct, sed etiam ante nc et ng consonantes solas Ī longam invenimus: (p)RĪNC(ipi) IX, 5702 contractum ex primi-ceps; linguae Romanicae i vocalem tenuerunt) CĪNCIA VI, 14817. CĪNCIAE VI, 14821. XIV, 806. CĪNCIVS VI, 1058, 4, 2. Cuius nominis origo etymologica non liquet. SĪNG(ulos) X, 5654 et SĪNGVLAS II, 1964 recte se habere videntur. Namque ut QVĪNQVE, quod infra afferam, cum πέμπε πέντε conferri potest, ita SĪNGVLI cum sem-el, sem-per (cfr. Corssen II, 273 sq.) Pro singillatim

[1]) In INCOLONIA (uno verbo) II, 1676, IN CAPITOLIO VI, 2108 (p. C. 231) IN CVRIA IX, 3429 (p. C. 242), IN COLLEGIO VI, 2066 (p. C. 89), IN CANĪBVS IX, 1020, INCOLAE IX, 730 (p. C. 5) II, 1964, INCHOATVM VI, 738, ĪNGENVVS VIII, 3110. II, 1964. 4205. ĪNGEMVERE VIII, 9519 i longa sine dubio initialis est.

affert sīgillatim Fleckeisenus in »50 Artikel« p. 29. Igitur consonantes nc coniunctae vocalem antecedentem producunt. Denique quinque vocabūlaque a quinque derivata I vocalem longam exhibent, id quod QVEINCTIVS X, 5282 et KOEINTOΣ CIG 2003 et linguae Romanicae (ital. cinque, hisp. cinco, franc. cinq) confirmant neque non Festi glossa haec (p. 254 M): »quīncentum (= quingentorum) et producta prima syllaba et per c litteram usurpant antiqui, quod postea levius visum est ita ut nunc dicimus pronuntiari.« Exempla I longarum sunt haec: QVINQVE V, 4374. VI, 3539. V, 47. VI, 3696. IX, 738. 5441, 5452. X, 792. 796. 6101. XI, 4123. 3260. 3364. 4572 (bis) XIV, 2995. QVINQVENNALICI IX, 3044. QVINQVENN. X, 5670. XII, 3232 (saec. II). QVINQVENNALITATIS VIII, 262. QVINQVAGENI X, 3943. — QVINCTA V, 2193. 2949. QVINCTIVS V, 4462. IX, 5567. QVINCTI QVINCTIAES VI, 6821. QVINCTIA III, 4520. IX, 3518. QVINCTILIO III, 384. 4790. VI, 5638. QVINCTILI VI, 25277. QVINCTILIAE (bis) VI, 25286. QVINCTILIANVS I, f. a. 761 (p. C. 8) VI, 20112. Etiam c littera omissa I longa mansit: QVINTVS V, 6970. XII, 3856 (saec. II) 4062. QVINTVM Mon. Anc. 14. III, 2904, 5453. VI, 1383 (p. C. 137) QVINTO VI, 13742. QVINTAE III, 5453. V, 4415. QVINTA VI, 5221. QVINTIA V, 5097. QVINTIO VI, 5745. XII, 5167. IX, 4145. QVINTIVS VI, 7459. 25312. QVINTILLA VI, 15066. XII, 3409 (saec. II). QVINTILIA III, 4790. QVINTIO VI, 18485. 25309. QVINTINI XII, 2256. QVINTINE XII, 2858. 2910. QVINTINAE XII, 2886. 3661 add. Denique, ut hoc commemorem, ei quod Buengerus p. 19 dicit — »man wird deshalb«, inquit »alle Perfecta auf -nxi und alle Supina auf -nctum mit langem Vokal in der Paenultima auszusprechen haben« — opponitur Priscianus qui (IX, 28) vinxi brevem paenultimam habere dicit; illius tamen testimonium optime congruit cum regula Lachmanniana.

3. CT.

Sicut iam vidimus, n consonans ante ct consonantes saepius in pronuntiando elapsa est: defuctus, sactus. Sed etiam ante ct consonantes solas vocales longae reperiuntur. Scripturae LV́CTV́ V, 337. LV́CTVM VI, 1527 e 66. LV́CTVÓSVMQ VI, 24808.

LV́CTV X, 4041. LV́CTV́ XI, 1420 propterea non sunt mirae, quia iam lūgeo vocalem u longam praebet. Praeterea autem notanda sunt haec exempla: DILÉCTVS VI, 6319. AD · LÉCTÓ XIV, 376 (c. p. C. 100). ADLÉCTO XII, 3166. XIV, 409. ADLÉCTVS X, 1273. LÉCTOR VI, 9447. LÉCTICARIOS VI, 5198. ÁCTIS VI, 1377. ÁCTÍS VI, 1527 d 59 (a. C. 8—2). EXÁCTVS (tab. Claud.) REDÁCTÁ VI, 701 (a. C. f. 10). INFRÁCTÁ IX, 60 (p. C. f. 100). FRV́CTO X, 2269. RÉCTE XII, 2494 (saec. I incipient.) RÉCTOREM XII, 4333 (Antonin. aetate). ÁCTOR VI, 10118. DILÉCTAE VI, 11434. LÉCTVS XI, 1826. TÉCTOR VI, 5205. Incertae lectionis est TRÁ(cta) VI, 1527 e 14.[1] Atque I longa scripta est in ADFLICTVS V, 2137 et LICTOR III, 7367 (p. C. 124). VI, 699. 1852. 1871. 1881. 1889. 1892. 1900. 1905. 1913. IX, 4057, i apicata in LÍCTOR III, 6759. In his omnibus participiis et substantivis ab illis derivatis CT consonantes ex GT etymologice exortas mediam tenui sequenti assimilavisse apparet, cf. ag-o, frang-o, leg-o, teg-o, reg-o, flig-o, lig-o. De FRV́CTO conferas frūges, frūgalis, frūgi; atque fructus u vocalem priorem produxisse ex frutto Italiano, ex fruto fruta Hispanicis conicitur. Neque aliter in verbo trahendi olim gutturalis quaedam audiebatur, quae in infimae aetatis scripturis »subtragendum (p. Chr. 700) retragendum (713 p. Chr.) subtragere (723 p. Chr.)« a Schuchardtio (2, 520) allatis et ad nostrum tempus in sermonis quem vocamus plattdeutsch verbo »trekken« et in imperfectis participiisque linguae nostrae »zog, gezogen« servata est. Gellii igitur testimonium (IX, 6) modo citatum, ubi lēctus et āctus reperitur, et eiusdem locus alius (12, 3), ubi testatur »sicut a lĭgando lĭctor et a lĕgendo lēctor et a vĭendo vītor et tŭendo tūtor et strŭendo strūctor productis quae corripiebantur vocalibus dicta sunt« et Porphyrionis ad Hor. serm. 1, 6, 122 praeceptum »lēcto producta syllaba pronuntiare debemus, quia frequentativum est ab eo quod est lego« optime cum his consentiunt. Transscriptionibus Graecis ῥέκτωρ ἔκλεκτος simil., quas Buengerus p. 12 affert, ipse minimam tribuit fidem aut propter tempora posteriora aut propter malam auctoritatem.

[1]) Ad vocalem longam confirmandam etiam AFLEICTA I, 1175 (cf. affligo) et Ῥῆκτος (Dio Cass. 57, 10; C. I. G. III, p. 310 b) et STRV́CTOR X, 708 a Seelmanno iam allata sunt.

Apicata exempla omnia fere pertinent ad prima Caesarum tempora itaque multo maioris dignitatis sunt quam illi tituli locique Graeculi. Si tamen verba recte transscripta sunt, potest fieri, ut Graeci secundum analogiam verbi λεκτός aliorum illa pronuntiatione usi sint. Parum modeste Osthoffius [1]) contra Lachmanni legem argumentatur. Omnia enim exempla quae tituli apicibus vel I longis significata exhibent (de sánctus cfr. supra) illam comprobant, velut iūnctus fūnctus extīnctus cīnctus lēctus rēctus tēctus āctus frāctus trāctus frūctus afflīctus līctor. Ingeniose neque inconsulte Lachmannus ratiocinatus est. Osthoffius autem nimis credit linguis Romanicis; neque enim solae per se magnam habent vim argumentandi. Ex quibus strĭctus, at relĭctus delĭctus pronuntiatum esse concludit. Si hoc esset verum, Lachmannus falsa praecepisset; sed donec aliis argumentis illorum vocabulorum pronuntiatio talis firmata erit, in Lachmanni praecepto perseverabimus. Id tamen hanc legem firmat, quod factus iactús in compositis fectus iectus fiunt, āctus autem pāctus frāctus tāctus a vocalem tenent.

Difficultatem praebent haud parvam dictus et victus cum derivatis. Secundum legem a Lachmanno e Gellio erutam utrumque participium i breve habere debet. Gellius l. c. dĭctus pronuntiari vult, id quod detto Italianum comprobat, ceteri autem sermones Romanici improbant; de lectione DICTATORI incerta vid. supr. Si igitur Gellii testimonium verum est — cur autem dubitemus? — vocalis praesentis longa in participio corripitur. Neque id mirum. Saepe enim in formis derivatis reperitur quod nos Ablaut dicimus; sicut graece φεύγω ἔφῠγον ἄφῠκτος, ita latine dīco, olim deico, dĭctus, dūco, olim douco, dŭctus. Eadem lex Lachmanniana vĭctus (a vinco) postulat. Aliud autem docent scripturae hae: VĪCTOR VI, 10056. 10115. 1058 (p. C. 210). VĪCTORES VI, 2086 (p. C. 155/213). VĪCTORIS XI, 72. VĪCTORINVS VI, 1058 (p. C. 210). VĪCTORINAE VI,25849.

[1]) Dicit in libro qui inscribitur «Zur Geschichte des Perfects im Indogermanischen« (Argentorati 1884) p. 112 haec: »Diese rein aus den paar Beispielen des Gellius IX, 6 voreilig abstrahierte Regel spottet jeder lautgeschichtlichen und physiologischen ratio, und ihr widerstreitende Formen aufzufinden, ist nicht schwer.«

VĪCTORIAM (p. C. 155/213) VI,2086. VĪCTORIAE V,7721. VĪCTORIA VI, 21052. VĪTORIH IX, 2579. VÍCTORÍA VI, 11230 (cod. Ambros.) VICTVRO C. I. G 6268. INVÍCTVS Wilm. 56 INVÍCTAI VI, 353 (p. C. 51). In inscriptionibus Graecis praeterea BEIKTΩPIA reperitur. Corssenus locum Gellii (12,3) allatum ita mutavit: »sicut . . a lĕgendo lēctor et a vĭncendo vĭctor« etc. Nihil tamen causae esse, cur mutemus verba Gellii rectissima, Buengerus iam dixit. Crediderim posterioribus demum temporibus in VICTOR i vocalem productam, optima autem aetate vīctus (ex vīvo) a vĭctus (ex vĭnco) discretum esse. Ut haec addamus, linguae Romanicae cŏctus delĕctus (a delicio) despĕctus, dŏctus, dŭctus, iăctus, sĕcta, at dirēctus afflīctus poscunt. Lachmanni igitur de participiis praeceptum hisce exemplis confirmatur.

4. X.

Ante x consonantem e consonantibus gs exortam vocalem longam apice expressam reperimus his in verbis:

RÉX Mon. Anc. 31 (cfr. ῥήξ Plut. Cic. 29. C. I. G. 8727. 8736). RÉXIT V, 875 (p. C. 105). LÉX VI, 1527 (a. Chr. 8—2). MÁX(imo) VI, 2080 (Act. f. Arval. p. C. fere 120). TÉXIT X, 1793. Praesentis vocalis i longa mansit in FĪXA Mon. Anc. 34 VĪXIT II, 3449, 3675. VI, 2188. 3298. 4312. 4683. 4742. 5226. 5262. 5294. 24353. 24468. 24457. 24756. 24601. 24656. 24799. 24962. 24963. X,2648. 2664. VĪXSIT VI, 24548. VÍXIT III, 6759. V, 7430. X, 2595 (cfr. VEIXIT II, 3537). VĪXIT XII, 3409 (saec. II).220. 3899. INFĪXVMQ VI, 5302. DĪXI et DĪXERO XII, 4333 (Antoninorum t.) Sed quidnam iudicemus de eo quod Priscianus in traxi et duxi vocalem longam vult pronuntiari? Dicit enim (IX, 28): »In xi terminantia praeteritum perfectum secundae et tertiae et quartae coniugationis inveniuntur; et tunc tantum natura quoque producunt paenultimam, quando sit e, ut rĕgo rēxi, tĕgo tēxi, illĭcio illēxi; in aliis enim positione sunt longae tantum ut trăho trăxi, vĭncio vĭnxi, dūco dŭxi, quod ostenditur esse correptum ex nomine quod ab eo derivatur et corripitur dŭx dŭcis, sicut rēxi produci approbatur ex nomine, quod ab eo nascitur, rēx rēgis; quaeritur igitur an lūceo luxi debeat natura producta accipi, cum lūx producatur.« Cui

testimonio et apices obstant in TRÁXI X,2311, 18. EDVXERVNT Mon. Anc. 16. PERDVXERAT X, 4041, 6. PERDVXIT XII, 2346 (saec. II) TRÁNSDVXIT XIV, 3608 et Italianorum dussi perfectum. Certe his titulis optimae aetatis fidem dabimus maiorem quam Prisciano cuius temporibus vocalium quantitas in dies magis vacillabat. De substantivis monosyllabis in x terminantibus cfr. Buengerum.

Denique quaeritur, quid de VXSÓRI VI, 3040 et VXÓRI III, 7163 statuamus. Haud scio an quisquam vocalem u longam probare velit scriptura VXORI X, 2409 (cfr. supra) vel scriptura Plautina VOXOR (cfr. Kochium in annal. Fleckeisen. 101, 285). Et mensura Plautina (Merc. 244, Rud. 895) et linguae Romanicae et OXOR V, 6271 a, 6305 Marxium (s. v.) adducunt, ut vocalem u brevem esse putet. Atque quoniam in titulo VI, 3940 TÉRPNI SATVRNÍN. SABÍNO reperiuntur, sculptor de apicis usu ac vi aut nihil aut pauca sciebat. Itaque apex vocabuli VXSÓRI alterius tituli ex errore fabri explicari potest.

Ut ex *agla āla, *paglus pālus fit, ita ex *veglum vēlum. Itaque in VÉXILLO XII, 3167 e vocalis longa nihil habet offensionis.

5. GN, GM.

De gn consonantium iunctura Priscianus haec praecipit (2,63): »gnus quoque vel gna vel gnum terminantia longam habent vocalem paenultimam, ut a regno rēgnum, a sto stāgnum, a bene benīgnus, a male malīgnus, abiēgnus, privīgnus, Paelīgnus.« Quod praeceptum optimis quoque linguae Latinae temporibus viguisse elucet ex his apicibus et I longis: RÉGNI RÉGNO tab. Claud. RÉGNA VI, 7578 (p. C. 120). SÉGNIS papyr. Oxon. D (l. 1.) DIGNE VI, 6314. DIGNI X, 5676. PRIVIGNO VI, 3541. SIGNVM VI, 10234. XI, 4092. SIGNIFICABO VI, 16664 (cfr. SEIG(nino) in numm. Sign. I, 11 (a. Chr. f. 268). Neque tamen haec lex in omnes partes valet; etenim Terentium in Ennuch. 4, 7, 7 īgnave, Diomedem grammaticum (K. G. L. I,470) dīgnitās metiri, in C. I. Gr. I,1060 ΚΟΓΝΙΤΟΥ reperiri Seelmannus (l. c. p. 91) adnotat. Linguae Romanicae volunt pronuntiari dīgnus (cfr. Groeberum, Arch. f. lat. Lexicogr.) lignum pīgnus sīgnum (cfr. Seelm. p. 79), producta autem vocali

benīgnus malīgnus rēgnum.

Ante gm vocalem semper longam fuisse Marxius p. 1 censet. Idem iam affert PIGMEN(tum) VIII, 1344.

6. R + consonans.

rc. Ante has consonantes apex extat in MÁRCIVS V,555. IX, 4012 (bis) XII, 3251 add. MÁRCI XIV, 2802, MÁRCIO tab. Claud. MÁRCIA Mon. Anc. 20. MÁRCÉLLO [1]) V,7678. MÁRCELLVS X, 8182. MÁRCELLA XII,3188. MÁRCIÁNVS XII, 2621. MÁRCION XII, 3650. Rectissime sine dubio scripta sunt, formae enim MAARCVS I, 1006, **Μααρκος** C. I. G. 887. 5644. 6155. 6156 simil. eandem quantitatem ostendunt. De huius nominis transscriptione Graeca uberius egit Mommsenus, qui in Ephem. epigr. I, p. 285 exemplis enumeratis: »apparet«, inquit, »eam scribendi rationem apud Graecos obtinuisse a bello Hannibalico usque ad Augustum, licet etiam vulgaris forma **Μᾶρκος** eodem tempore in usu esset (C. I. G. II, 3045 (a. 561) bis est **Μᾶρκος**). Iam cum vocalium longarum apud Latinos geminatio adhuc certe testimoniis confirmata non sit nisi ab aetate Gracchana fere ad Sullanam, nuper G. Boissier (Rev. arch. 1869 p. 47 sqq.) contendit Ritschelium quique eum secuti sunt non recte intra hos terminos eam scribendi rationem conclusisse. At haud scio an Boissierus errarit. Nam quod Graeci in hoc vocabulo Latino a litteram geminare solent cum praeterea quod sciam nusquam adhuc in ullo alio Latino vocabulo vocalis longa reperta sit Graece per geminatam vocalem expressa, ... id satis indicat id quod est **Μααρκος** sua vi niti nec tam ad vocalium geminandarum consuetudinem pertinere quam ex proprietate quadam sermonis antiqui originem trahere;« atque paulo post: »inde colligemus Romanos antiquissimo tempore pronuntiasse Ma(h)arcus indeque factum esse Mārcus, ut ex ahala factum est āla.« Videmus igitur geminationis Graecae causam atque originem non esse repetendam ab Accio poeta, sed ante illius tempora Graecos in hoc nomine a litteram duplicem adhibuisse, quam ex etymologia explicandam

[1]) Vocalem e brevem esse transscriptio Graeca (cfr. Marx) et Diomedes (K. p. 431, 27) testantur; apex igitur falso est positus.

esse puto. Sed hoc quidem in medio relinquam[1] (cfr. Corssen I, p. 405 sqq.): certe syllabae sunt contractae. Utut igitur res est, non dubium est quin a vocalis apicibus indicata producte pronuntiata sit.

Deinde notabiles sunt ante rc consonantes apices in nominibus HÉRCVLÁNIAE XII, 1357 (saec. I) et HÉRCVLI XIV, 3543 (c. p. C. 100), quae recte scripta esse *Ἡρακλῆς* graecum et transscriptiones *Ἡρκουλάνεον* (ap. Dion. Cass. 66, 23) *Ἡρκουλανός* in nummo (Mionnet IV, 111) et *Ἡρκλανός* (Plut. de se ipso laud., C. I. A. III, 1197) demonstrant (cfr. Marx.)

rt. Illi nomini a Marte derivato additur simile quoddam a Larte ductum cuius vocalem longam apices demonstrant: LÁRCIA XI, 2210. LÁRTIO LÁRTIAE XI, 633. Uterque titulus ad Etruriam pertinet, unde deus ille vetustissimus originem ducit. Atque similis ac de illo nomine res est de Marte, quod ex Mavorte contractum est (cfr. scripturam MAVRTE I, 63). Recte igitur apices ponuntur in MÁRTIS I, el. XXII = X, 809. Mon. Anc. 21. I, p. 310 = X, 8375 (fer. Cum.) MÁRTI XII, 2218. MÁRTI XII, 2973. 3081 add. MÁRTINVS XII, 1895 (saec. I). MÁRTINO ibid. MÁRTINAE XII, 3616. MÁRTIO XII, 3203 (saec. II). MÁRTIALI V, 7430. In eodem titulo (V, 7430) QVÁRTÁE extat, quod congruit cum scripturis QVÁRTAE V, 6091. QVÁRTO Mon. Anc. 16. QVÁRTVS III, 4959. QVÁRTILLÁE II, 4359. QVÁRTINIAE XII, 3851 (s. I). QVÁRTVLI QVÁRTIONIS XII, 3852 add. Utique syllaba prima contracta est sive ex quadr-tus (Marxius) sive ex quatrutus (Curtius) sive ex quatuor-tus, quator-tus, quater-tus, quatr-tus, quartus (Corssenus).

De vocabulo cohortis Buengerus (p. 24): »Die Casus und Derivata von cohors haben ebenfalls immer kurz ŏ, nur im C. I. G. findet sich einmal *κοώρτιος* und *χώρτης* (= cohortes). Bekanntlich hat man in späterer Zeit das Wort auch einsilbig gesprochen und geschrieben; dass aber in diesem Worte der Vokal vor rs und rt ursprünglich kurz war, ist unzweifelhaft.« Neque mirum est vocabulum contractum longam habere vocalem (*χώρτης* C. I. G. 3902 c., 5052 add., 5783 c) neque linguas Romanicas o vocalem

[1] Fortasse etiam MÁRIC(us) I, 1244 huc referendum est.

conservasse longam. Repugnat autem huic quantitati COHÓR(tis) VI, 2903. Aliae tamen titulorum scripturae cum hac collatae (HÓRT(os) VI, 9493, quod eiusdem radicis esse verisimile est (cfr. Curtius 200), ibidemque FÓRT. et FÓRTVN. (= Fortuna) FÓRTVNATA VI, 7527 cfr. FOTVNATE VI, 2236) demonstrant o vocalem ante rt saepe producte pronuntiatam esse.

VIRTVTIS VI, 449 (p. Chr. f. 83) hucusque aliis argumentis firmari nequit.

rd. Nihil impedit quominus hasce formas recte se habere credamus: ÓRDINES V, 5050 (edict. Claud. p. C. 46). ÓRDINIS tab. Claud. ÓRDINE II, 4550 (litteris optimis) ÓRDIN(is) IX, 5177 (p. C. 172; praeter hunc novem apices unaque I longa recte ponuntur) ÓRDIN(em) X, 3704, 2. ÓRDI(nis) XII, 3312 (saec. II f. exeunt.) Quoniam Romanicae quoque linguae vocalem poscunt longam, non assentior Mommseno ad tituli V, 5050 versum 32 annotanti haec: »apex qui cernitur supra ÓRDINES litterae R magis superpositus quam litterae O mihi casu videtur incisus esse.« Itaque *ἐκστραορδιναρίους* apud Polyb. 6, 26, 6 falso scriptum videtur (cfr. Schmitz p. 39).

rn. In verbo ornandi o vocalis producebatur, id quod hi apices docent: ÓRNÁTVM I, 1194 = X, 6009, 8. ÓRNAV(it) X, 6104 (Aug. t.) ÓRNARE XII, 4333 (Antonin. temp.) ÓRNÁMENTIS XII, 3203 (saec. II). ÓRNANDAM XII, 1357 (saec. I). ÓRNÁMENTA XIV, 3606. ÓRN(amentis) X, 805 (ante Chr. f. 12). ÓRNAMENTVM tab. Claud. ÓRNARE Wilm. 104. EXÓRNÁVÉR(unt) X, 1839. ADÓRNAVER(unt) XI, 4206. ÓRN(atrix) VI, 9728 (bis). Linguae Romanicae eandem quantitatem demonstrant. Etymologia verbi hucusque dubia est. Aufrechtius nuper in musei Rhen. vol. 37, p. 484 eiusdem radicis or ar esse censet cuius sunt ars artus armus Latina, *ἀραρίσκειν ἀρτύνειν* Graeca, aram sanscriticum (non varna).

rm. FÓRMA VI, 20674 comprobatur Edicti Diocletiani transscriptione Graeca *φώρμη* crebriore (III, p. 1057) atque linguis Romanicis. I longa reperitur in FIRMVM IV, 175. FIRMVS VI, 1058. FIRMI VI, 1248. FIRMO VI, 5230. FIRMINO VI, 13292. Vocalem longam postulat etiam firme Hispanicum quod Groeberii opinione literatum (halbgelehrt) esse f ostendit, brevem autem fermo Ital., ferms Provinc., ferme Francogall.

rv. Huc pertinet ÁRVÁLI VI, 913 (in titulo Tiberii aetate publice posito). Deinde CÓRVINVS VI, 2041 (Act. fr. Arv. a. p. Chr. 58/59) adhuc ἅπαξ λεγόμενον, cui transscriptiones Graecae et cuervo Hispan. repugnant (cfr. Marx s. v.)

rb vel rf. - ÓRFITO fidem prae se fert minimam, quia in eodem titulo (VI, 353) anno post Chr. 51 confecto alii quoque apices male sunt positi. Praeterea NÁRBÓNE XII, 3203 (saec. II) et NÁRBONÉNSIS XII, 3163 notanda sunt.

rd. Reperitur nomen CÓRDIAE VI, 22915, de cuius o vocali nihil certi amplius scimus.

rg. VIRGINVM VI, 2150 in dubio relinquamus.

7. SC.

Ac primum de verbis inchoativis Gellius (7, 15): »Amicus noster, homo multi studii atque in bonarum disciplinarum opere frequens, verbum quiescit usitate e littera correpta dixit, alter item amicus, homo in doctrinis quasi in praestigiis mirificus communiumque vocum respuens nimis et fastidiens barbare eum dixisse opinatus est, quoniam producere debuisset, non corripere. Nam quiescit ita oportere dici praedicavit, ut calescit, nitescit, stupescit atque alia huiuscemodi multa.« Inscriptiones haec praebent exempla apicibus vel I longis ornata, quibus non possumus non tribuere fidem: CRÉSCENTI VI, 9059 (cfr. Κρήσκης in tit. Graecis et linguas Romanicas) CONSENÉSCERET X,3903. NÓTÉSCERET VI,1527 e 18 (a. Chr. 8/2). D(esc)ISCENTEM Mon. Anc. 27. NÁSCERER Mon. Anc. 13. NÁSCENTIBVS XII, 3702. CRÉSCÉNS XII,4030. QVIÉSCERE VI,25531. Maxime autem notabile est OBLIVISCEMVR VI,6250, ad quod probandum livitus participium a Cornuto allatum (Keil. Gr. L. VII, p. 206, 3; cfr. etiam Buechelerum in praefat. libri Marxiani p. V) aptissimum est.

Praeterea in his vocabulis vocalis ante sc longa videtur fuisse: VISCERA VI, 1975 (praeter septendecim I longas rectissime positas), RÓSCIO VI, 2060 (Act. fr. Arv. p. C. 80/81), quocum congruit Ῥώσκιος (cfr. Marx), LÓSCIAN(VM) V, 5203. VISCI V, 6424. VOPISCO X,4872 (omnes I longae recte scriptae). FALISCEIS I, Act. triumph. 513. Denique PRISCVS I, fast. Cap. a. 291. 355 (ante Chr. 36—30). II, 4162. 4295. III, 3055. 4914. VI, 1058, 5 (p. C. 210). 3158. 11102. 15972.

PRISCI VI, 3298. III, 6816. PRISCVS VI, 8451. XI, 1147. PRÍSCVS XI, 1940. 4215. PRISCVS XII, 1992. 654 (saec. I). 137. 1859 (bis). 3785. 5938 a. 4390 add. IX, 4565. V, 47. X, 2664. 3637 (bis) 6668. VI, 24885. 25262. PRISC. IX, 4354. PRISCO VI, 1817. X, 4067. XIV, 412. 413. PRISCA V,7022. PRISCAE VI, 4272. VI, 5155. 9018. V, 160. VI,19740. PRISCIANVS VI,8451. XII, 2464 (saec. I). PRISCILLAE VI,20635. Eandem quantitatem demonstrant Πρεῖσκος Πρεισκεῖνος Πρεισκιανός (C. I. A.; saepius).

8. ST.

Non dubium est quin in voce iusti u vocalis natura longa sit. Ut id linguae Romanicae (justo Hispan., just Provinc., juste Francog., giusto Ital.) demonstrant, ita haec titulorum exempla apicata: IV́STVS II,210,[1] V,5919. IV́STVM VI,8619. IV́STIS VI, 10230 (Aug. temp.) IV́STAE VI, 18045. IV́STISSIMVM XI, 3805. IV́STINA VI, 10162. IV́STO XII, 1902. Neque est mirum, quoniam iustus a iūs derivatur. Deinde a rūs deducitur RV́STICVS IX, 4012. Praeterea PÁSTÓRIS X,827 optime consentit cum miliarii Popilliani scriptura PAASTORES I, 551 = X, 6950 (cfr. supra de tit. aetat.) Quodsi in pasco a vocalis producta est, eadem in pastor facile explicatur. Neque quisquam dubitabit, quin scripturae (in)FÉSTI V,2627, FÉSTAE III,5353, (mani)FÉSTVM I, p. 319, FÉSTVS XII, 3179 (Tiber. aetate) recte se habeant, cum vocabulum graece scribatur Φῆστος (C. I. A. III, 635. C. I. G. 372. Ios. 2, 14, 1. Act. Apostol. 24. 25. 26. Dio Cass. 78, 32 Stab. 5, 230) Aliae linguae Romanicae vocalem longam conservarunt, aliae, velut Hispanorum, brevem fuisse ostendunt. Item haesitant de o vocali in OSTIVM exstante. Apices insunt in ÓSTIVM VI, 4710 et ÓSTIVM ÓSTIÓ Mon. Anc. 26. Scripturae AVSTIA I, 1463. V, 704 et ὤστια (cfr. Marx s. v.) videntur argumento esse vocalem esse longam Praeterea commemoranda sunt haec: CRV́STVM I,1199 (cf. crūdus) LV́STRVM Mon. Anc. 8. (»Sühnung« cfr. lūtor). FRV́STRÁ (cfr. fraus) VI,20377. PISTVS V, 6998. AVGV́STA IX, ad 787. AVFV́STI (sexies) VI,2993.

---

[1] In indice voluminis II non annotatum est.

V́ÉST(iarius?) VI, 9966. EXĪSTIMAVERVNT V, 5050 (p. C. 46; cfr. aestimo). MAGĪSTR. VI, 4006. MAGĪSTO XII, 738. MĪNĪSTRANTIBVS VI, 2086 (Act. fr. Arv. p. C. 155/213). Marxius, qui confert Plaut. Pers. 76, Rud. 477, in utroque vocabulo i vocalem brevem statuit rectissime, praesertim cum in MĪNĪSTRANTIBVS prior I longa omnino quantitatem non significet. FĪSTVS I, ast. a. 301. ANTĪSTIAE VI, 11921. ANTĪS(ti) V, 119 (contra Ἀντέστιος et Ἀνθέστιος C. I. A. III, 589; C. I. G. 3336 Diod. 15, 51 al.) CRĪSTĪNVS VI, 1058 (p. C. 210; cfr. χρίω). TRĪSTIOR C. I. G. 6268, ubi i longa linguis Romanicis firmatur (cfr. etiam τρηστισσιμος C. I. G. 2052).

9. LL, RR, SS.[1]

Etiam ante has consonantes duplicatas vocalis saepe producta est. Ut linguae Romanicae comparatae in »villa mille ullus nullus« vocalem priorem productam volunt, ita Priscianus (III, 35) ūllum ab ūno ūnulo derivat. Tituli autem has quidem scripturas vocalem longam testificantes exhibent: V́LLA II, 1473 (saec. I p. C.) V́LLI VI, 10230 (Aug. aet.) NV́LLVM X, 4787 (Mar. Victorinus K. G. L. VI, 9 vult pronuntiari nūllus). MĪLLIA Mon. Anc. 3. XII, 4393 (aet. Antonin.) MĪLLIENS Mon. Anc. 17 (cfr. MEILIA I, 551 et mīles). MĪLLIARIA III, priv. milit. (p. C. 85). VĪLLAE XIV, 3637. VĪLLA Henzen 5140. VĪLLANI IX, 348 (cfr. VĪLICVS VI, 56). Praeterea NÁRREM (tab. Claud.) quod ab adiectivo »gnārus« derivandum esse constat; PÓLLIONI V, 5906. VI, 1862. X, 4648. PÓLLIÓNIS X, 4727 (= I, 1199). PÓLLIO VI, 22840 (cfr. Paullus et transscriptionem Πωλλίων solitam) PÓLLA XI, 4572. PÓLLA XII, 3471 (saec. II). PÓLLAE III, 7163. PÓLL. XIV, 402. ÓLLA VI, 10006. 14434. 17073 (bis) 21200. XIV, 2553. 3838 (cfr. Aulularia) VÁLLARI II, 4509 (p. C. 107), quocum vādo Buengerus confert; VÁLLIVS XIV, 4039. VÁLLIA XIV, 4040. AQVĪLLIVS VI, 12264. TĪLLIVS VI, 2043 (p. C. 63). PVLVĪLLVS I, fast. a. 297. FAVĪLLA V, 3143 (Marx s. v. i brevem conicit). VALENTĪLLE IV, 12450. NARCĪSSI VI, 5206. NAR-

[1]) Cfr. Buenger p. 9—11 et p. 20. De superlativis cfr. Seelmann p. 98.

CĪSSVS VI, 1058 (p. C. 210). ĪV́SSVS VI, 77. (I)VSSV VI, 10230. ĪV́SS(it) XII, 1930 (saec. I). ĪV́SSIT IV, 25531 (u vocalis quae primitus longa fuit, in perfecto et supino longa mansisse videtur (cfr. IOVSIT I, 547 a. I, 1166). MĪSSIONE III, priv. mil. p. C. 85 = X, 7890. DIMĪSSIS Mon. Anc. = priv. veter. p. C. 98. AMĪSSI II, 1964. REMĪSSA XI, 1585. PÁSSA VI, 22251. CÁSSIAE VI, 14545. POPĪLLIVS I, 550 (dubiae auctoritatis; cfr. supra). Sescenties Ī longam invenimus in superlativi suffixo -issimus, velut saepissime PIĪSSIMVS II, 284. 370. 385. 388. 516. 573. 1172. 1982. 3386. 4047. 5936. 6690 etc. FORTĪSSIMO VI, 1132. CARĪSSIMO VI, 5325. CARĪSSIMAE VI, 15476. SANCTĪSSIMAE VI, 21325. 13226. DVLCĪSSIM. VI, 12428. DVLCĪSSIMAE VI, 16926. FELĪCĪSSIMAE VI, 17801 cfr. VIII, 1288. VI, 13998. X, 6630. DVLCĪSSIM. RARĪSSIM. KARĪSSIM. X, 2894. V, 7059. 108. 7375. VI, 1634. Licet scripturae tales quales sunt FELICĪSS. HONESTĪSSIM X, 3704, quia eodem in titulo HONORĪB. MVNERĪB. CI'VI ÁD CVMVLANDÁ. MVNERA pessime scripta sunt, fidem habeant minimam, magno tamen numero eiusmodi Ī longarum aliquantam vim tribuendam esse putaverim. Plusquamperfecti formae DVXĪSSENT III, priv. mil. p. C. 52 (pag. 844) X, 769. HABVĪSSENT X, 7890 (p. C. 96) DECREVĪSS. X, 3704, quae nescio an secundum analogiam verborum qualia sunt REDĪSSET VI, 318 = I, el. 27. DESĪSSET X, 1401 pronuntiatae sint, eandem quantitatem videntur postulare (cfr. CECIDISE IV, 2461. POSEDISENT II, 5041). Seelmannus p. 100 vocis dedīsse paenultimam apud Plaut. Amph. 761 (Pseud. 990; Cist. 1, 3, 34) breviter metiendam affert et concludit: »Uns dünkt es am wahrscheinlichsten, dass das fragliche i, wie das lange, einen geschlossenen intensiven Klang beibehalten und mittellang war.«

10. NT, NL, NI.

n t. Buengerus p. 6 annot. 5 scripsit: »Nur ein einziges Mal habe ich in Inschriften langen Vokal vor nt bezeichnet gefunden, nämlich V, 2915 FRÓNT(em).« Id quidem perversum esse hae aliae titulorum scripturae ostendunt: ÁNTIATÍNAE X, 6640 (p. C. 85). PERMITTÉNTE II, 4550. PARÉNTÉS VI, 11220. INFÁNTIS VIII, 9473. CÓNTVBERNALIS VI, 9044.

TERÉNTI VI, 10227. CÓNTENTVS X,3704, 12. CORÍNTHO IX, 2658. ÍNTAMINATA VI, 5817. ÍNTERIOR VI, 5728. ÍNTERIM VI, 266, 21 (p. C. 250). Quas fere omnes (X,6640. VI, 11220. 9044. 10227. X, 3704) malam auctoritatem prae se ferre concedo. PERMITTÉNTE ex falsa analogia eiusdem tituli vocabulorum CLÉMÉNS BARCINONÉNSIVM scriptum videtur; nominis INFÁNTIS apex paene unicus est in titulis Africanis itaque dubiae dignitatis; atque ut supra vidimus, vocabulo ineunte Í longa saepe ornandi vel interpungendi causa scribitur. Itaque ante nt consonantes vocalis plerumque breviter pronuntianda est. VOLVNTÁTEM in titulo bono aetatis Antoninianae (XII, 4393, ubi 90 apices et 30 Í longae omnes rectissime insculpta sunt) adversatur mensurae Plautinae (Trin. 1166 Pseud. 537 Stich. 59, cf. Marx s. v.) In CONTIO NVNTIVS QVINTVS contractionis causa vocalis producitur.

nl. Manlius a vocalem longam habet, cuius documento sunt MÁNLIO MÁNLIA V, 615. MÁNLIAE IX, 3942. Nomen contractum esse ex Mānilius eiusque syllabam primam olim accentum habuisse Seelmannus putat. [1])

ni. Non erit quod scripturae CÓNIVGI V,1066. VI,9914. XII, 2245 diffidamus, praesertim cum eam cum COÍVGI VI, 10574. 10671 al. contulerimus.

11. MP, MB.

Marxius s. v. ēmo ēmptum supinum statuit. Repugnat autem huic quantitati non solum ΡΕΔΗΝΠΤΑ C. I. G. 9811, sed etiam COÉMPTO Mon. Anc. 15. REDÉMPTA VI, 22251 vocalem longam esse demonstrant. Praeterea PÓMPÓNIO VI,20141 (p. C. 41). PÓMPÓNIAE, PÓMPONIVS VI,24662 (cfr. *Πωμπιλλα* X, 7567. 7568. 7571. 7578. POMITINA = Pomptina VI,7787). CORÝMBÍ VI,12724. PLVMBO X,3967, cum linguae Romanicae plūmbum poscant. Eisdem probantur prōmptus, tēmpero, tēmplum, tēmpus (cfr. Seelm. p. 81 Foerster l. c.) limpidus. De IMP(eratore) supra dixi.

12. Aliae consonantes.

In nominibus Vipsanii et Vipstani i vocalem longam fuisse

---

[1]) Cfr. p. 31: »Der Schwund von Vokalen weist darauf hin, dass der Ictus weiter vorn auf dem Worte ruhte.«

docent VÍPSANIVS VI, 1058. VÍPSANIA VI,8877. VÍPSANIO VI, 17269. VÍPSTANVS (Act. fr. Arv. VI, 2039 (p. C. 57). 2041 (p. C. 58/59), 2042 (p. C. 59/60) VÍPSTANIVS VI, 2042 (p. C. 59/60) cfr. *Βειψάνιος* C. I. G. 5709 et *Οὐειψτανοῦ* C. I. G. 5837. C. I. A. III, 621. Vocalem praesentis longam mansisse in perfecto et supino ostendunt SCRÍPSERI(s) XI, 575. SCRÍBSI SCRÍBTA XII, 4393 (act. Antonin.) et SCRÍPTA VI, 813 (p. C. 5). SCRÍPTA X, 4294. SCRÍPTI 5938 a. 3861. SCRÍPTVM VI, 2011. SCRÍPTI VI, 2041 (p. C. 58/59). CÓNSCRÍPTIS X, 3903. SCRÍPTOR XI, 575. SCRÍPTORVM II, 1964. DESCRÍPTVM III, p. 863 (p. C. 99). Idem volunt linguae Romanicae et CONSCREIPTEIS I, 206. Neque aliter e praesenti lābor lāpsus derivatur: DILÁPSAM XI, 3123. PLÉBS V,6797; PLÉPS XII,4333 eiusdem radicis videtur atque *πλῆθος*. In nundinum quod contractum est e nov'ndinum, u prius producitur; recte igitur NÝNDINI XII, 3650 et NÝNDINO XII, 3018 add. (saec. II exeunt.) et NÝNDINVS XII, 3488 add. (saec. I). Ante consonantes duplicatas Í longa reperitur in AGRÍPPINAE VI, 9901. AGRÍPPINAI XI, 3600. ÍMMO III, p. 774. ÍMMORT. V, 7870. VÍCCIVS V, 7721. Deinde MÝLTILLÍVS X, 2750. ÁPLANIVS X, 8182. VLTRA (tab. Claud.) apicem habet adversus oltra Italianorum et outre Francorum. SÍ(l)VANVS VIII,9801 et SÍLVINÍ XII,3736 non consentiunt cum mensuris Horatianis (carm. 1, 23, 4 epod. 13, 2; cfr. Marx) et linguis Romanicis.

13. Varia.

In terminationibus 3. sing. perf. vocalem olim longam fuisse ex scriptura EI et mensuris poeticis satis apparet (cfr. Corssen I, p. 608 sqq.) Fieri potest, ut illa pronuntiatio in sermone vulgari diu permanserit; conferas enim POSVÍT VI, 552 (p. C. 164), 647, 15283, 16498. XII, 659 (saec. f. III). FECÍT VI, 15042, 18543. DEBVÍT FECÍT VI, 18282. VIXÍT II,581. VI,13686. IX, 1506. X,2646. VÍXÍT VI, 19026. X,622. FVÍT IV,1842. FVTVÍT IV, 2265. DEIDICAVÍT VI, 12562. VOLVÍT IV, 2265. (P)ROPERAVÍT VI, 11094. Georges in lexico suo me-

titur Atilius et Calvisius; reperimus autem ATILIA VI, 12637. 22582. ATILIVS XII, 2464 (saec. I). ATILIAN(us) XII, 695. CALVISI VI, 12139. (Calv)ISIANO VI, 14270. CALVISIVS XII, 1872 (saec. I).

Ex falsa analogia scripta videntur MYSTIC(o) VI, 15157. CIVICA Mon. Anc. 34. MEDICVS IX, 2607. PVBLICIIS VI, 1892. RVSTICVS IV, 1524. BELLICVS IV, 2247. Maxime in nominibus propriis scripturae saepe sunt mirae: NÓVELLIVS VI,1550. SÉCVNDILLAE VI,15841. NICOSTRÁTO VI,17453. CHIA VI, 19258. HARMÓDIO VI,18076. CÓTILE VI,20873. AESCHÍNE VI, 21446. THEÓMNESTVS II,3848. VITRASIA VI, 12737, MINEVRAE V, 4945. MÁRIO X,1930. LICINIVS VI, 975 (cfr. LEICINIVS I, 1127). CLÓE VI, 2327. ZÓE VI, 4752. FILEMÓNI VI, 4795. CAPITOLIO VI, 2030 (Act fr. Arv. p. C. 40). Praeterea annoto PÓSVI VI,7310 (fortasse praesentis gratia). SIBEI I, 1271. SIBI IX, 3203. XII,4926. 5178. RESTITVTVS IV,2335. VI, 6686. 21861. DÁTA X, 3903, 16. MÓDESTIA X,3704. LICIT. VI,15691. SÁCERDOS II,2126. SÁCERDÓTI VI, 2059 (p. C. 80/81). NIHIL IV, 1662. PROVIDENTIAE VI,2033. LEGITIMAM V,20674. ARBÍTRATV X, 1273. THEÓPHILE XII, 3191 add. GÉNIÓ XII, 1159. BENEFIC. II, 4249. VICARIVS II, 957, FIDELIS XII, 3425 (saec. II). VITIVM VI, 10237 (p. C. 16). Haud scio an vocalis interdum vi accentus producta sit. Vocabulorum graecorum apices haud ita raro loco accentuum positi videntur. Neque tamen quidquam erroris humani a quadratariis alienum erat. Ita nonnumquam lapicidae contra voluntatem Daedalo fiunt similes qui »ponit opus turbatque notas et lumina flexum ducit in errorem.« Velut aut minimae aut nullius auctoritatis sunt MENSIBVS VI, 11877. 18431. MANIBVS VI,5590. 6596. 20334. X, 2293. 2331. IN CANIBVS IX, 1020. NVMINI VI, 216. OPTIMO VI, 1962. 14101. X, 3423. PRINCIPIS VI, 4292. GEMINA II, 214. CONIVǴI VI,19729. DVLCISSIMAE SANCTISSIMAE VI, 10881. KARISSIMAE VI, 13322; nullius sunt dignitatis tit. XII, 747, ubi AEMÍLÍAE SECVRÍTÁTI CÁRISSIMAE, tit. XII, 2005, ubi male ÁTÉIA ÉRMÉTIÓ et nominativi SVCARIÁ PERPETVÁ, tit. XII, 2245, ubi FLÁMÍNÍS IVVÉNTV́TIS VÁLERIV́S SÉCVNDILLÁ(nom.) ÉT CÓNIVGI(?)SÓCER, tit. XII,

4097, ubi FÍLIÁ (pro filiae) DVBIAE reperiuntur, et alii eius generis. Caveamus ne talibus erroribus fabrorum nimis confidamus. De quibus Corssenus (I p. 788 annot.) monet rectissime: »Diese Schreibfehler aufgreifen und auf dieselben Hypothesen bauen will etwa so viel bedeuten, als wenn man die Schreibfehler in den Briefen König Friedrich Wilhelms I oder Friedrichs des Grossen für deutsche Wortforschung verwerten wollte.«

Ad finem perveni. Epilogi locum teneant verba, quae Aemilius Baehrens non multis abhinc annis in editione Catulli (vol. II p. 49) scripsit: »Historicorum nomine« inquit (»et quid interest inter hos et philologos?) indigni mihi videntur qui difficilem Ausonii locum minore cura dignum censent quam vel Aeschyli vel Horatii: de Athenarum in genus humanum meritis an de I longa inscriptionum disseras, nil refert, modo id quod agis prudenter ingeniose fructuose agas.« Quamquam multum abest, ut tantam laudem mihi sumam atque arrogem, tamen spero me aliquid attulisse, quantulumcumque est, ad nostram apicum et I longarum notitiam augendam.
